Xc. 596 2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-712638-p0002-1

Contenta Tom. III.

1. Schmid de Angina p. 1.
2. Spalowsky de Vomitu p. 36.
3. Pichler de podagra. p. 51.
4. Paur de phthisi p. 66.
5. Plenckner de meteorismo p. 92.
6. Plass de retrocessione exanthematum p. 112.
7. Bidischini de reconvalescentia p. 137.
8. Zeit de convulsionibus infantum p. 179.
9. Verhovitz de nostalgia p. 205.
10. Szombaty de morbis glandularum. p. 219.
11. Rivolti de parotide p. 238.
12. Welthern de prognosi in acutis. p. 287.
13. Stribel de aneurysmate p. 323.

DISSERTATIONES MEDICÆ

IN

UNIVERSITATE VINDOBONENSI HABITÆ

AD

MORBOS CHRONICOS

PERTINENTES

ET EX

MAX. STOLLII

MEDIC. CLINIC. P. P. O. PRÆLECTIONIBUS
POTISSIMUM CONSCRIPTÆ.

EDIDIT ET PRÆFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL.

VOLUMEN TERTIUM.

VIENNÆ,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPLER
MDCCLXXXX.

KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

I.

JACOBI SCHMID,

PASSAVIENSIS

DISSERTATIO

DE

ANGINA.

---

§. I.

Omnis causa existens intra bifurcationem asperæ arteriæ, ventriculum, & intra supremas fauces, quæ respirationem vel deglutitionem difficilem, aut dolorificam, aut etiam impossibilem reddit, anginam efficit.

§. II.

Quum vero hæc cauſa diverſa ſit, hinc diverſas anginarum ſpecies conſtituit, diverſa pariter ſanandas ratione.

§. III.

Omnium primo plerasque harum anginarum ſpecies enarrabo, ut ſic diſtinctior evadat medendi methodus.

§. IV.

Hinc eſt: I. Angina inflammatoria. II. Angina membranacea. III. Κυναγχη. IV. παρακυναγχη. V. συναγχη. VI. παρασυναγχη. VII. Angina ſuppuratoria vera. VIII. Angina ſuppuratoria ſpuria. IX. Angina gangrænoſa. X. Angina ſcirrhoſa. XI. Angina cancroſa. XII. Angina polypoſa. XIII. Angina catarrhalis. XIV. Angina œdematoſa. XV. Angina bilioſa. XVI. Angina putrida. XVII. Angina miliaris. XVIII. Angina petechialis. XIX. Angina maligna. XX. Angina peſtilentialis. XXI. Angina ſcarlatinoſa. XXII. Angina eryſipelatoſa. XXIII. Angina morbilloſa. XXIV. Angina varioloſa primi & ſecundi ſtadii. XXV. Angina varioloſa tertii ſtadii. XXVI. Angina varioloſa ſalivantium. XXVII. Angina venerea condylomatoſa. XXVIII. Angina venerea ulceroſa. XXIX. Angina venerea nocturna. XXX. Angina mercurialis. XXXI. Angina convulſiva. XXXII. Angina paralytica. XXXIII. Angina aphthoſa. XXXIV. Angina

phti-

phthiſicorum. XXXV. Angina febre acuta morientium.

Dictas has anginas ordine reſumam, ſed ita reſumam, ut ſumma tantum capita attingam.

I. Angina Inflammatoria. II. Angina Membranacea. III. Κυναγχη. IV. Παρακυναγχη. V. Συναγχη. VI. Παρασυναγχη.

§. V.

Si partes ſupra bifurcationem aſperæ arteriæ & ſupra ſtomachum ſitas tumor inflammatorius occupat, quo deglutitio, aut reſpiratio quacunque ratione læditur, audit angina inflammatoria.

§. VI.

Hujus mali cauſæ ſunt: generales inflammationis cauſæ his partibus (V.) applicatæ, aut quomodocunque in has determinatæ, uti frequens, validumque harum partium exercitium, oratoria exercitatio, cantus, clamor, præprimis in locis frigidis hyemali tempore, equitatio fortis adverſo vento frigido, inflatus tubarum; acrimoniæ variæ ad fauces ſubito delatæ, uti acrimonia rheumatica, arthritica, podagrica, hydrophobica, eryſipelatoſa, venerea a ſubito retrocedente gonorrhœa &c.

§. VII.

Ab his, similibusque causis nata inflammatio varia producit symptomata ex actionibus partium læsis necessario sequenda.

§. VIII.

Nam si inflammatio prehendat membranam infimam asperæ arteriæ, fibras, fasciculosque musculosos, sequitur vox acuta, clangosa, sibilosa; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine; anxietas maxima, cita mors. Atque hæc est Angina membranacea.

§. IX.

Si hæc eadem inflammatio supremam, intimamque asperæ arteriæ partem, laryngem dictam, occupat, eadem symptomata (VIII.) magis urgent, dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, acutus inter loquendum; vox acutissima, stridula; citissima cum summis angustiis mors.

§. X.

Horridum est aspicere hos ægros (VIII. XI.) anhelos, lingua exserta, facie inflata, livida, oculis sanguine suffusis & prominentibus instar canum cursu agitatorum, aut laqueo strangulatorum. Quare hanc anginam dixere κυναγχην, quasi strangulationem caninam, & si levius malum fuerit, παρακυναγχην.

§. XI.

§. XI.

Alia denuo oriuntur ſymptomata, ſi pharynx inflammetur, aut etiam œſophagus: deglutitio fit dolens, impoſſibilis; bolus deglutienda per nares redit; aut in laryngem repulſa, tuſſim violentam excitat. Hæc eſt angina συναγχη dicta, aut ſi levior eſt, παρασυναγχη.

§. XII.

Si vero partes faucium ſuperiores afficiantur, tunc, præter jam dicta (XI.), reſpiratio fit incommoda, difficilis, per nares nulla, vel parva, per fauces anguſta; materies deglutienda ob anguſtias & magnos dolores per os redit; excreatio perpetua; pituitæ ad cava tonſillarum ſtillicidium perpetuum, copioſum; dolor acutus in aure interna & via eo tendente a faucibus; crepitatio in aure, dum deglutitio fit; ſurditas ſæpe perfecta.

§. XIII.

Si muſculi elevando oſſi hyoidi & laryngi ſervientes inflammentur, deglutitio in prima actione ſuæ exercitationis acutiſſime dolet.

§. XIV.

Diagnoſis habetur: I. Ex ſignis inflammationis generalibus; febre acuta continua; pulſu pleno, forti, duro, fibrante; tumore, calore, tenſione, dolore pungente, ardente in loco affecto. II. Ex dictis (V. usque huc). Nec inde difficulter perſpicitur prognoſis.

§. XV.

Cura anginæ inflammatoriæ eſt antiphlogiſtica; eaque non raro generoſiſſima requiritur. Hinc ſi febris magna, pulſus fortis, plenus, durus &c. illico inſtituatur venæ ſectio, quæ ſi ſymptomata urgeant, præprimis in κυναγχη & συναγχη omni bihorio, trihorio repetenda eſt, tamdiu, quamdiu vires ægri ferant. Si venæ ſectionem vires ægri non amplius ferant, periculum tamen urgeat, fiant ſcarificationes ad nucham; enemata emollientia, nitroſa, omni bihorio, ſi opus eſt, ſunt injicienda; gargariſma mere emolliens ore tenendum; collum fovendum fomentis, cataplaſmatibus tepidis, emollientibus; interne aſſumenda ſunt medicamenta emollientia, nitroſa, & reliqua antiphlogiſtica.

§. XVI.

Κυναγχη ſæpe adeo pertinax eſt, ut his omnibus rite adhibitis, tamen nihilominus non emendetur, ſed potius ægri ſtupidi, ſemiſtrangulati jaceant; quare cucurbitæ collo & circumſitis locis ſunt apponendæ; ſi nullum levamen poſt ſex aut duodecim horas ſequatur, veſicantia toti collo ſunt applicanda, epiſpaſtica quoque ſuris & plantis pedum circumliganda; ſi non cito levamen ſequatur, inſtituenda βρονχοτομη. Melius eſt extrema adhibere remedia, quam ægrum certæ relinquere morti.

§. XVII.

Συναγχη valida, diu perſtans intercipit liquidorum ſanguinem diluentium deſcenſum in ventri-

triculum; quare clysmatibus, balneis diligenter est succurrendum, donec deglutire æger possit.

§. XVIII.

Dum febris valida adest, dum pulsus modum excedit, dum nondum sufficientes venæ sectiones factæ sunt, purgantia, epispastica, vesicantia nullatenus conveniunt; ut idea morbi inflammatorii & idea virium horum medicamentorum nullatenus combinari possunt; attamen præmissis venæ sectionibus, mitigata febre, si symptomata læsarum functionum deglutitionis aut respirationis persistant, semper sunt adhibenda; docet multiplex practicorum observatio, præprimis si inflammationis causa fuerit acrimonia (VI.). Nam tunc non adeo ages in inflammationem, utpote jam fractam, quam in materiem morbificam in locum minus periculosum derivandam.

§. XIX.

His, similibusque medicamentis adhibitis sæpe feliciter resolvitur inflammatio. Infelix tamen modus coctionis & excretionis materiæ morbificæ in angina membranacea ille est, dum lympha coagulabis subito transsudat in cavum asperæ arteriæ, quo æger jam convalescens sæpe de improviso suffocatur.

§. XX.

Alii exitus anginæ inflammatoriæ sunt, uti alterius inflammationis scilicet in suppurationem,

gangrænam, ſcirrhum. De quibus jam eſt agendum.

VII. Angina ſuppuratoria vera.

§. XXI.

Inflammatio neglecta, gravior, diutius excurrens, horripilationibus vagis accedentibus abit in ſuppurationem; quæ erit angina ſuppuratoria.

§. XXII.

In hoc rerum ſtatu, ſufficientibus venæ ſectionibus adhibitis, ultro, quam neceſſitas poſtulat æger debilitandus non eſt, ſed diæta vegetabili, blanda, modice nutriente vires ægri ſunt ſuſtentandæ & ſuppuratio emollientibus, laxantibus, tepidis, interne externeque adhibitis eſt promovenda.

§. XXIII.

Si ſigna doceant, abſceſſum eſſe factum, is illico eſt aperiendus, ſi ſponte non rumpatur.

§. XXIV.

Ulcus tractandum eſt detergentibus, deinde adjectis balſamicis; & ſi ulcus cito ſerpat, ſi pus fœtidum, male coloratum prodeat, antiſeptica quoque erunt addenda.

VIII.

VIII. Angina ſuppuratoria ſpuria.

§. XXV.

Si inflammatio levior ſit, contingit ſæpe, ut intra unum, alterumve diem criſi bona ſolvatur, ſcilicet ſero phlogiſtico transſudante in cavum faucium. Hoc contingit præprimis, ſi tonſillæ fuerint inflammatæ.

§. XXVI.

Quoniam hæc membrana a ſero phlogiſtico transſudante facta incautis pro ſuppuratione vera imponere poſſit, dicitur angina ſuppuratoria ſpuria.

§. XXVII.

Cura hujus anginæ requirit ſolum ablationem hujus membranæ ope digiti, vel inſtrumenti, vel etiam gargariſmatis detergentis.

IX. Angina gangrænoſa.

§. XXVIII.

Inflammatio faucium validiſſima, continuo increſcens, diſparentibus ſubito peſſimis ſymptomatibus ſine bonis ſignis abit in gangrænam; quæ erit angina gangrænoſa.

§. XXIX.

Plures quidem gangrænæ cauſæ ſunt, quam inflammatio, ſed quæ facile ex foro pathologico huc revocari poſſunt. Quare medicus ad alias quoque cauſas in curanda angina gangrænoſa attendere debet, quam ad ſolam inflammationem, ut medendi methodum juxta cauſas inventas dirigat. Ceterum hæc ſolent interne adhiberi remedia: cortex peruvianus, cortex ſalicis albæ, radix arnicæ, camphora, ruta, ſcordium &c. Similia quoque forma gargariſmatis adhiberi debent, uti etiam ſpiritus terebinthinæ, ſpiritus vini camphoratus, ſpiritus maſtichinus, ſpiritus vitrioli, ſpiritus ſalis, &c.

X. Angina ſcirrhoſa.

§. XXX.

Angina ſcirrhoſa adeſſe dicitur, dum tumor durus, indolens, glanduloſus impedimentum deglutiendi, aut etiam reſpirandi ponit.

§. XXXI.

Cujus cauſæ ſunt: inflammatio validior, neglecta, diutius excurrens, non benigne reſolvenda, nec tamen abiens in ſuppurationem, aut gangrænam; cacochymia atrabilaria, maxime ceſſante conſueto menſtruo, vel hæmorrhoidali fluxu; aliæ conſuetæ excretiones ſuppreſſæ ad fauces determinatæ; materies craſſa, tenax ex victu duro, in-

far-

farciens glandulas, potus ſpirituum fermentatorum, virus venereum, labes hæreditaria &c.

§. XXXII.

Ab his cauſis (XXXI.) natus tumor ſcirrhoſus diverſa parit ſymptomata pro ratione partium ſupra bronchia & ſtomachum ſitarum. Nam ſi occupat glandulas aſperæ arteriæ, reſpirationem laborioſam efficit, vocem acutam, ſibiloſam producit; ſi œſophagum, ejusve glandulas, aut partes œſophago adjacentes, œſophagum tamen comprimentes, inducit primo difficultatem deglutiendi ſolida, poſt menſes, poſt annos eandem auget, tandem liquidorum quoque in ventriculum deſcenſum intercipit, cibi in œſophagum intruſi cum muco copioſo rejiciuntur, ſequitur lentus maraſmus ex defectu nutrimenti, & tandem mors.

§. XXXIII.

Ex his (XXX. XXXI. XXXII.) non difficulter eruitur diagnoſis, quin & prognoſis facile intelligitur.

§. XXXIV.

Cura valde difficilis eſt; etenim raro curatur verus ſcirrhoſus, niſi forte ejus cauſa cognita, ut ſi cauſa eſſet miaſma venereum. Ceterum conſiſtit in ſolventibus, reſolventibus, uti ſunt: taraxacum, cichoreum, cicuta, gummiferulacea, ſapones, ſalia medica &c. His nil proficientibus ſola ſupereſt exſtirpatio. Si hæc fieri non poſſit, cauſtica ope penicilli per canulam cavam immiſſi applicanda

ſunt

sunt toties, donec totus tumor sit consumptus. Si nihil horum cum successu tentari possit, cura superest solum palliativa aliunde in scirrho cognita.

§. XXXV.

Est & alia species scirrhi a muco pituitoso, infarciente glandulas orto, quam ego ad anginam œdematosam refero.

§. XXXVI.

Etiam non omnis tumor remanens post inflammationem pro scirrho haberi debet; etenim hoc sæpius contingit, ut pars inflammata distrahatur, distracta etiam, ac tumidula maneat inflammatione dudum sublata. Huic tumori nec increscenti, nec de tempore in tempus duriori reddito non facies medicinam, nisi forte resolventem, simulque roborantem.

XI. Angina cancrosa.

§. XXXVII.

Ex angina scirrhosa fit cancrosa, dum scirrhus malignitatem induit, dum inflammari, rubere, dolere, calere &c. incipit.

§. XXXVIII.

Causæ cancri sunt eædem, ac scirrhi, sed diutius durantes, variis rationibus exacerbatæ malig-

lignitatem inducunt, & symptomata eadem quidem, sed longe pejora, quam scirrhi, excitant.

§. XXXIX.

Diagnosis & prognosis ex dictis (XXXVII. XXXVIII.) satis intelligitur. Nolo enim diutius historiæ cancri immorari, & hoc loco sufficiat, mentionem feciſſe, cancrum quoque inter causas anginarum esse referendum.

§. XL.

Cancer faucium insanabilis est a). Hinc eundem medicamentis causæ cognitæ adversis, vegetabilibus blandis, involventibus, diluentibus, aperientibus, antisepticis, anodynis, quin & narcoticis inhibere ac palliare oportet, uti sunt: hordeum, oryza, lac, bardana, scorzonera, sassaparilla, cicuta, daucus, spiritus salis, opium &c.

XII. Angina Polyposa.

§. XLI.

Polypus est excrescentia mollis, fungosa, pluribus quasi radicibus donata, facillime in molli membrana Schneideriana narium nascitur, increscit,

a) Herm. Bœrhaave Aphor. de cogn. & curand. morb. §. 505.

cit, in fauces descendit, & anginam efficit. Qualia exempla plura habentur a) b).

§. XLII.

Cura exigit ejus evulsionem, quæ fit, dum polypus prope velum pendulum palatinum prominulus forcipe prehenditur ac extrahitur; dein aqua aluminosa reliquiæ siccantur, ne denuo recrescant.

XIII. *Angina Catarrhalis.*

§. XLIII.

Angina catarrhalis illa est, quæ oritur a subita defluxione materiæ pituitosæ ad fauces.

§. XLIV.

Causæ sunt: tempestas frigida, humida tempestatem calidam excipiens, maxime vere & autumno; calenti corpori subito admissum frigus &c. Præprimis accidit infantibus, mucosis, laxis, aquosis, frigidis, senibus, in quibus eadem materies perspirabilis, quæ alias ad membranam Schneiderianam narium recurrens coryzam, aut ad pulmonem delata peripneumoniam notham efficit, nunc fau-

a) Tulpius observat. Medic. Lib. I. cap. 26. p. 50.

b) Schenkius p. 223.

fauces petens inducit tumorem & dolorem colli, tonsillarum, & glandularum salivalium; raucedinem, tussim.

§. XLV.

Ex his constat, causam materialem hujus morbi esse pituitam, quæ ob subitam ad fauces delationem, atque vim vasis illatam levem excitat inflammationem; adeoque duplicem esse indicationem, quarum prima inflammationi, altera pituitæ medetur.

§. XLVI.

Primæ indicationi satisfaciunt venæ sectio, quæ pro temperamento ægri, pro anni constitutione, pro intensitate pulsus, febris, pro symptomatum urgentium necessitate aut omitti, aut instituì, aut etiam repeti debet; dein conveniunt emollientia & reliqua antiphlogistica.

§. XLVII.

Alteri vero indicationi ea dicantur, quæ pituitam attenuant, solvunt, mobilem reddunt; dein ea, quæ derivant, atque de corpore eliminant per alvum, per urinam, per sudorem, per os &c. Qualia sunt: mel, oxymel simplex, oxymel squilliticum, manna sambuci præparata, gramen, taraxacum, cichoreum, salia media &c. atque si rheuma fixius adsit, si graviora urgeant symptomata, vesicantia.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Ex his & similibus fiant infusa diaphoretica, si malum levius sit, si primo ortum, ut adhuc per diaphoresin difflari possit; sed si jam diutius duravit, si materies jam mucosior, atque tenacior sit, non potest amplius per insensibilem perspirationem abigi, debet ergo ad alia loca muco excipiendo magis opportuna derivari nempe ad alvum per varia decocta eccoprotica, vel potus purgantes omni tertio, quartove die repetendos; ad urinam quoque per medicamenta incidentia, diuretica; nec ultimum locum tenent gargarismata, quibus mucus ex ipso ore prolicitur; etenim per gargarismata, præsertim incidentia ex nitro, oxymelle simplici, & multo magis, si opus est, oxymelle squillitico & sale ammoniaco, gargarizando partes faucium muco turgidæ concutiuntur, & ingentem muci copiam dimittunt. Hoc quoque multo magis præstant injectiones ope syringæ ad ipsas partes pituita plenas.

§. XLIX.

Sub decursu hujus morbi sæpe adeo acris fit hæc pituitosa materies, ut tussim validam ex titillatione & ardore faucium præprimis capitis asperæ arteriæ oriundam moveat; hoc in casu opus est mucilaginosis gargarismatibus, aut lacte tepido; etiam linctus indicantur confecti ex oleo amygdalarum recenti, vitello ovorum, & syrupo diacodii; si noctes inquietæ sunt, opiata quoque conveniunt, aut ejus præparata, uti est massa pilularum de styrace catarrhalium.

XIV. *Angina Oedematoſa.*

§. L.

Angina oedematoſa fit a tumore molli, albo, frigido, vix dolente, aquoſo, vel pituitoſo.

§. LI.

Cauſa eſt, quidquid facit, ut lympha in partibus deglutitioni vel reſpirationi ſervientibus vel vicinis ſtagnet: uti compreſſio venarum; obſtructio folliculorum glanduloſorum, vel ductuum excretoriorum a calculis, aut aliis corpuſculis ibidem enatis; laxitas & debilitas major harum partium &c.

§. LII.

Differentiam inter hanc anginam & catarrhalem eſt, quod in catarrhali adſit ſaltem aliqualis inflammatio.

§. LIII.

Cura repoſcit, ut primo tollatur cauſa, ſi inveniatur, uti v. g. ſi eſſet calculus in ductibus glandularum, is primo tolli deberet; dein conſiderandum, an lympha ſit tenuis, fluida; vel jam ſpiſſa; quod ultimum cognoſcitur, ſi tumor extrorſum promineat ex fovea a digito impreſſo relicta; ſi extrorſum non promineat, ſaltem ex univerſa corporis conſtitutione.

§. LIV.

Si peccat lentor humorum, oportet adhibere medicamenta attenuantia, uti fumariam, ſquillam, antiſcorbutica omnia, ſales medios, gummiferulacea &c. Dein pro re nata derivantia, evacuantia per os, per alvum, per urinam &c. conducunt. Ultimo cura abſolvenda eſt ſtimulantibus, roborantibus, martialibus; topice quoque per gargariſmata adhibitis, uti ſunt: folia myrti, aurantiorum, ſal amoniacus & ſic plurima ex materia medica depromenda.

XV. Angina Bilioſa.

§. LV.

Angina bilioſa illa eſt, quæ oritur a ſaburra bilioſa ex primis viis in ſanguinem reſorpta & ad fauces depoſita.

§. LVI.

Cauſæ ſunt eædem ac febris bilioſæ: æſtas prægreſſa fervida; bilis corrupta; corporis exercitia ſub radiis ſolaribus diebus canicularibus &c.

§. LVII.

Diagnoſis habetur I. ex cauſis prægreſſis (LVI.) II. ex ſignis febris bilioſæ, III. ex epidemia graſſante.

§. LVIII.

§. LVIII.

Cura requirit, ut præmisso remedio solvente primæ viæ repurgentur per emesim aut emeto-catharsim; vel si levior morbus est, per decocta eccoprotica, acescentia; repurgatis primis viis materiam morbosam faucibus fixius inhærentem avocabit vesicans.

§. LIX.

Accidit non raro, ut angina catarrhalis primis autumni temporibus associetur anginæ biliosæ; hoc in casu, si inflammatio catarrhalis alicujus momenti sit, vel si adsit plethora a bile fervente excitata, præmittenda venæ sectio est, dein exhibendum emeticum, quod ex ventriculo saburram ejiciet, ex faucibus vero pituitam amarescentem emulgebit.

XVI. Angina Putrida.

§. LX.

Saburra biliosa vel pituitosa acriori existente, aut diutius relicta in primis viis, magis degenerante, traducta in universam sanguinis massam, & ad fauces determinata non jam anginam biliosam sed putridam efficiet, bilioso vel pituitoso-putridam.

§. LXI.

Cura consistit in eo, ut mobilis reddatur saburra per remedia solventia, saponacea, & dein

ex corpore exturbetur. Hac ſaburra in primis viis relicta, angina abibit in totam faucium putredinem, exquiſitiſſimis etiam antiſepticis vix cohibendam, camphora, cortice peruviano, contrajerva, ſerpentaria virginiana, ruta, ſcordio, radice angelicæ, valerianæ ſilveſtris, arnicæ, ſpiritu vitrioli &c. ceterum cura hujus anginæ eſt, ut ipſius febris biliosо vel pituitoſo — putridæ.

XVII. *Angina Miliaris.*

XVIII. *Petechialis.*

§. LXII.

Hæ anginæ nullam præcipuam curam requirunt, quam eandem ipſam, quam febris miliaris, vel petechialis requirit, quum angina ſolum ſymptoma ſit harum febrium, quas pertractare nimis longum foret. Plerumque ad putridas referendæ ſunt; interdum tamen etiam ad biliosas, pituitoſas, & inflammatorias.

XIX. *Angina Maligna.*

§. LXIII.

Angina putrida tam deleteria febre ſtipata, ut illico vires vitæ dejiciat absque manifeſta cauſa, id eſt, absque evacuationibus validis prægreſſis, aut latente quadam inflammatione topica, audit jam angina maligna. Cura eſt, ut ipſius febris ma-

lig-

lignæ. Topica tamen remedia negligi non debent.

XX. *Angina Peſtilentialis.*

§. LXIV.

Angina maligna dicitur peſtilentialis, ſi plurimos invadat, eosque, quos invadit, cito enecet, ſi inſuper petechias, vibices, carbunculos junctos habeat. Curam eandem expoſcit, ac ipſa febris peſtilentialis.

XXI. *Angina Scarlatinoſa.*

XXII. *Angina Eryſipelatoſa.*

§. LXV.

Anginæ hæ quandoque ſunt leves & benignæ, quandoque vero peſſimæ, & merito ad malignas referendæ, tunc potiſſimum, dum ſaburra in initio morbi in primis viis negligatur.

XXIII. *Angina Morbilloſa.*

§. LXVI.

Angina morbilloſa eſt ſymptoma ſemper præſens plus, minusve in omnibus morbillis. Non hic ſigna dicam, unde morbilloſa angina deſumi debeat, cum illa conſtent ex hiſtoria morbillorum,

id solum dico, morbillosam anginam stipari simul seroso narium fluxu, coryzam æmulante, item ophthalmia serosa.

§. LXVII.

Prosunt ea omnia, quæ contra, aut potius in morbillis laudantur, sed remedia simul topica dabunt emollientia, malva, althæa, verbascum, lac etiam solum tepidum, & universim in omnibus his diversissimis anginæ speciebus tota ferme ars, & dexteritas in eo consistit, ut quis speciem unam ab altera distinguat. Etiam id hic obtinet, qui bene distinguit, non solum bene docet, sed etiam apte curat.

XXIV. *Angina Variolosa primi & secundi stadii.*

§. LXVIII.

Angina, quæ contingit in primo variolarum stadio est a variolarum prorumpentium conatu, adeoque a levi faucium inflammatione; quæ vero contingit in altero est ab ipsis variolis actu prodeuntibus, aut jam progressis.

§. LXIX.

Contingit quandoque, ut tumor a variolis prorupturis occupet caput asperæ arteriæ, rimamque glotitis; hinc sequitur angustatio rimæ, & a variolis tandem subito procedentibus clausura, sic fit,

fit, ut æger derepente pereat ſufflaminata penitus reſpiratione, niſi forte βρονχοτομιη ſuccurras.

§. LXX.

Ex idea anginæ varioloſæ primi & ſecundi ſtadii patet, curam debere eſſe leviter emollientem, ſimulque leviter diſcutientem; hinc gargariſmata ex aqua vel infuſo florum ſambuci, lacte, camphora, croco & ſimilibus parentur, quibus fit, ut diſcutiatur inflammatio, aut variolæ jam ortæ retrocedant, ſibique locum tutiorem quærant.

XXV. Angina Varioloſa ſtadii tertii.

§. LXXI.

Alia variolantium angina in tertio ſtadio eſt, & ſubſequentibus, ubi partes variæ faucium fuerint ulceratæ, non ſimpliciter inflammatæ, non puſtulis tumentibus obſeſſæ, ſed eroſæ.

§. LXXII.

Hoc in ſtatu requiruntur imprimis ea, quæ morbus ipſe princeps expoſcit, ſed & topica vulneraria, topica antiſeptica requiruntur, cum in loco calido, humido, in partibus his ex ſua natur laxioribus cito & late putredo ſerpat. Quare gara gariſmata ex alumine, ex ſucco ſempervivi expreſſo, ex acido ſalis, ex ſyrupo violarum, ſyrupo mororum, aqua florum ſambuci, & ſimilibus paranda ſunt.

XXVI. Angina Varioloſa ſalivantium.

§. LXXIII.

In variolantibus adhuc alia ſæpe ſpecies anginæ obſervatur, proveniens non ab inflammatione faucium, non a puſtulis fauces obſidentibus, nec etiam ab ulceratione faucium, ſed a tumore partium glaoduloſarum, glandularum præcipue ſalivalium. Id duplici ratione contingit; vel enim circa decimum, undecimum, duodecimum diem materies ſalivalis craſſior, tenax eſt, & difficillime excernitur, tunc proderunt orta hac difficili deglutitione potus largi, & præterea gargariſmata irritantia adjecta ſcilla, aliisque coindicatis, ut faucibus irritatis materies ſalivalis proliciatur, & ab onere hoc mucoſo partes liberentur.

§. LXXIV.

Altera ratio eſt, qua angina ſalivantium oritur, non tam a materiei reſtitantis lentore, quam ab ipſa copia etiam non lentæ materiæ. Nonnunquam enim ſubitiſſime materies ſalivalis ad fauces ruit, & plus illuc ruit, quam poſſit excipi, quam poſſit excerni; hinc periculoſa mala, periculoſa ſuffocatio; hinc encephali ſæpe oppreſſio & morbi oriundi alias a preſſo encephalo, morbi epileptici, convulſivi, apoplectici; hinc ſubitæ ſæpe mortes ſalivantium, etiam variolantium. Quodſi igitur non tam lentor, quam materiei copia & moles muci ad partes ſuperiores ruentis cauſa ſit horum malorum, juvabit promptum purgans, juvabit ſuadente Sydenhamo & expertiſſimo Huxhamo emetocatharticum.

XXVII.

XXVII. Angina venerea Condylomatosa.

§. LXXV.

Si condylomata fauces obsident, reddunt deglutitionem difficilem ob ipsam molem, etsi dolorem vix inferant.

§. LXXVI.

Condylomata sunt tubercula, seu excrescentiæ a miasmate venereo excitatæ, variæ duritiei, figuræ, magnitudinis, plerumque tamen fabam referentes, in faucibus sæpe minimæ instar seminis milii conspiciuntur.

§. LXXVII.

Cura exposcit medicamenta interna antisyphilitica, cum condylomata faucium oriri non possint, nisi virus venereum sit in sanguinis massam translatum. His diutius adhibitis, si lues nondum nimis altas in corpore radices egerit, condylomata feliciter evanescunt; at in lue nimis radicata, multis jam palliantibus tentata, condylomata ipsa jam inveterata, medicamenta solum interne adhibita plerumque eludunt, externam quoque eorundem requirunt applicationem, quin etiam corrosionem. Inter corrodentia præferri debent corrosiva mercurialia, præprimis mercurius sublimatus corrosivus, licet etiam multi alia caustica adhibeant, ut solutionem metallorum, butyrum antimonii, lapidem infernalem.

§. LXXVIII.

Si condylomata instar pyri pendeant, si cartilagineæ sint duritiei, præstat ea abscindere, & radicem superstitiem corrodere.

§. LXXIX.

Hæc abscissio in faucibus fieri vix potest, cum causticis vero hic loci caute est mercandum; ope penicilli tamen caustico solum humectati, per canulam cavam introducti tentari potest corrosio.

§. LXXX.

Accidit quandoque, ut condylomata abscissa, corrosa repullulent denuo miasmate venereo licet jam deleto. Hoc fieri solet a laxitate inducta, quæ requirit adstringentia, cohibentia, uti sunt aluminosa, saccharum saturni &c.

XXVIII. Angina venerea ulcerosa.

§. LXXXI.

Si ulcus a veneno syphilitico in faucibus oriatur, erit angina venerea ulcerosa.

§. LXXXII.

Cancer venereus, seu ulcus venereum cito serpit, lardaceum est, pus spissum, flavescens, virideſcens fundit, labia etiam gerit, uti alius cancer

cer tumida, inflammata, retorrita, dolentiſſima. Si dubites, num cancer ſit venereus, nec ne, inſpergas aliquid mercurii dulcis; ſi eſt venereus, ſequenti die ulcus depurabitur, minus dolebit; ſi autem cancer eſt verus, vel aliud ulcus impurum, omnia erunt pejora.

§. LXXXIII.

In cancro faucium venereo id quoque notandum eſt, quod facilius aggrediatur partes muſculoſas, quam tonſillas, licet ne his parcat.

§. LXXXIV.

Cancer faucium venereus, uti condylomata, totam maſſam ſanguinis infectam indicat; hinc cura antivenerea interna requiritur, cui tamen topica mercurialium applicatio jungi debet, mercurii dulcis, mercurii præcipitati albi, mercurii præcipitati rubri, & ſi ulcera lardacea, rebellia, mercurii ſublimati corroſivi; forma fomenti, gargarismatis, linimenti.

XXIX. Angina nocturna venerea.

§. LXXXV.

Angina nocturna venerea eſt, quæ nec condylomatibus, nec ulceri venereo debetur, veſperi ingruit, deglutitio fit difficilis, dolorifica, aut etiam impoſſibilis, quandoque etiam reſpiratio læditur, febricula venereorum veſperi pariter exacerbata ſtipatur; fauces inſpectæ ſolummodo leviter ru-

rubent, aut brunei sunt coloris, aut plane nihil morbosi ostendunt; versus auroram fatiscit, aut multum mitigatur, de die etiam fere penitus silet; cum aliis venereorum symptomatibus alternat, uti cum rheumate, hemicranio venereo &c. sic artuum rheumate aut hemicranio validius afficiente, angina mitigatur; silente rheumate, aut hemicranio, angina redit. Differt hæc angina a condylomatosa & ulcerosa; quod solummodo noctu afficiat, condylomatosa & ulcerosa vero omni tempore persistant.

§. LXXXVI.

Interdum tamen hæc angina diurna est, ut solum certo diei tempore afficiat, noctu vero penitus sileat.

Cura est omni modo antivenerea.

XXX. *Angina Mercurialis.*

§. LXXXVII.

Alia quoque anginæ species in venereis observatur, quæ non a miasmate venereo, sed a mercurio interne assumpto, aut externe applicato oritur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Noſcimus enim vim ſpecificam mercurii, qua in glandulas ſalivales, in tonſillas, in gingivas, in linguam, in fauces agit. „ Quare accidit aliquando (ait Sauvages Tom. I. p. 493.) poſt tertiam, quartamve inunctionem, ut glandulæ ſalivales, maxillares, parotites, tonſillæ derepente tumeant, caleant, doleant, lingua tumefiat, foras exeratur, facies, totumque caput turgeſcat, unde deglutitio & reſpiratio difficilis, vox ſuppreſſa, vel incondita, & mugitui ſimilis, ſopor febris acutæ, ſalivatio fœtida, copioſa, viſcida, ulcuſcula in ore infra linguam, a lateribus ad genas, ſenſatio quaſi dentium extus protenſorum, gingivarum tumor, rubor, dentium ipſorum vacillatio, lapſus, maxime ſi ope tartari connexi fuere; hæc vel plurima ex hiſce mala a largiori, aut citra ſufficientem balneorum numerum, repetita & frequentiori hydrargyroſi ſuperveniunt. „

§. LXXXIX.

Hæc angina mercurialis veſperi multum exacerbari ſolet; hinc cavendum, ne confundatur cum angina nocturna venerea, quæ ægros veſperi maxime afficit & mercurio curari debet, angina vero a mercurio orta eodem peſſime exacerbaretur.

§. LXXXX.

Si dicta ſymptomata (LXXXVIII.) imminere obſervamus, ſtatim eſt ceſſandum ab uſu mercurii, corpus balneandum ſæpius, & mercurius cor-

corpori inunctus probe detergendus est, venæ sectio instituenda, si febris magnitudo id postulat, dandum purgans antiphlogisticum, lac tepidum ore tenendum, potus copiosi, mucilaginosi bibendi sunt, & si suffocatio immineret, instituenda foret βρογχοτομη.

XXXI. *Angina Convulsiva.*

§. LXXXXI.

Angina, quæ contingit ob quandam faucium partem violenter & invite contractam nominatur convulsiva.

§. LXXXXII.

Causæ hujus sunt variæ: saburra biliosa in primiis viis, vermes, vulnera, etiam jam consolidata, læsio tendinum, evacuationes nimiæ præprimis nobilissimorum humorum, uti seminis virilis &c. sæpissime tamen hystericæ feminæ & viri hypochondriaci huic morbo subjacent, quibus familiare est, ut in binis locis stringatur pharynx, aër interceptus calore rarefiat, & tumorem in collo producat, quem globum hystericum appellant.

§. LXXXXIII.

Hic morbus comes est plurium morborum spasticorum, epilepsiæ, tetani, opistotoni, catalepsis &c. Sed sive comes sit horum vel aliorum morborum, sive proprium constituat morbum, semper

per oportet inquirere in cauſam, ſine qua ſæpenumero manca eſt omnis curatio, ac inefficax.

§. LXXXXIV.

Si igitur cauſa eſt ſola nimia irritabilitas ſyſtematis nervoſi, nulla alia cauſa cognita, oportet adhibere illa, quæ paroxyſmum imminentem avertunt, aut præſentem tollunt, qualia ſunt fætida, aduſta, empyreumatica, ſpiritus cornu cervi, ſpiritus ſalis ammoniaci, aſa fœtida, caſtoreum &c. Paroxyſmo evanido diu inſiſtendum his, ſimilibusque medicamentis, ut integra reſtituatur ſanitas. Sic ſæpe facile tollitur hoc malum, ſæpe vero non tollitur, ſed pertinaciſſime perſiſtit, quin ab innocuis medicamentis exacerbatur. Quare ſimpliciſſima adhibenda ſuadeo, totam antihyſtericorum remediorum Claſſem transeundo, quodlibet remedium probe explorando, non ſtatim rejiciundo, ſic ſæpe ſacram anchoram invenimus, alias ſine ſpe ſalutis per oceanum evagaturi.

§. LXXXXV.

Si aliam in corpore cauſam detegimus, a qua angina convulſiva ſuam ducit originem, patet alioquin, noſtros labores in illa eradicanda verſari debere.

XXXII. *Angina Paralytica.*

§. LXXXXVI.

Angina quoque fieri potest a paralysi unius vel pluriu m musculorum deglutitioni præprimis servientium. Ægri difficulter deglutiunt, aut deglutire non potentes, cibos potusque per os atque nares reddunt. Cura varia est pro varietate causæ, aut morbi præsentis, cujus symptoma est, hemiplectici, paraplectici, apoplectici.

§. LXXXXVII.

Non raro difficile est distinguere anginam paralyticam ab angina scirrhosa; tamen causæ prægressæ paralysi, aut scirrho producendo propriæ huic negotio lucem affundunt; scirrhus etiam non nisi tarde oritur, paralysis vero sæpe subito ingruit.

§. LXXXXVIII.

Si penitus aboleatur deglutitio, per clysmata est succurrendum omni bihorio jam medicamentosa, jam nutrientia; sed hæc parva esse debent, nec excedere quinque vel sex uncias, ut retineri possint.

§. LXXXXIX.

Si nulla paralysis causa detegatur, tunc illa sunt adhibenda, quæ alias in paralysi laudantur, uti nervina, aromatica, etiam acriora, stimulantiora, quin & vesicantia collo sunt applicanda.

XXXIII. *Angina Aphthoſa.*

§. C.

Aphthæ ſunt puſtulæ parvæ inſtar ſeminis milii, ſed brevi abeuntes in ulcuſcula parva, urentia. Deprehenduntur frequentiſſime in ore, in faucibus, ex quibus deglutitio fit dolorifica; in ventriculo, inteſtinis, in pudendis utriusque ſexus, circa anum; rarius in œſophago, in aſpera arteria; rariſſime, ſi certa fide in hepate, veſica urinaria. Sæpe non adeo multum nocent, ſæpe malignæ ſunt, & non raro mortem inferunt, tum præcipue, ſi febribus putridis, malignisque ſtipentur.

§. CI.

Origo aphtharum plerumque debetur ſaburræ primarum viarum, qua neglecta, aut perverſa medendi ratione aucta, malignitatem induunt.

§. CII.

Cura eſt partim radicalis, partim palliativa. Radicalis conſiſtit in ablatione cauſæ, in evacuatione ſaburræ acidæ, caſeoſæ infantum, in curatione ipſius febris concomitantis bilioſæ, putridæ &c. Palliativa vero petit topica emollientia, inviſcantia, maxime dum cruſtis deciduis dolor magnus adeſt. Attamen emollientia ſola non ſufficiunt, imo malum augerent potius, laxando nimis ulcuſcula, debilitando ventriculum & inteſtina; quare roborantia addenda ſunt ex alumine, ex decocto corticis peruviani &c. Laudant etiam decocta ra-

parum, dauci, ſpiritum ſalis, ſuccum ſempervivi expreſſum.

XXXIV. Angina Phthiſicorum.

§. CIII.

Solent anginam dividere in illam, quæ cum tumore viſibili externo vel interno, radice linguæ depreſſa apparet; & in illam, quæ ſine ullo tumore viſibili accidit, & hanc periculoſiſſimam dicunt. Merito id quidem, ſiquidem pauci ex tali angina emergunt. Nam ſi in tali angina adeſt tumor, tunc eſt in partibus viſui non expoſitis, eſt forte in interna laryngis ſuperficie; quam periculoſa vero talis angina ſit, dictum eſt (VIII. IX. X. XIX. LXIX. LXXIV.). In qua vero nullus omnino tumor adeſt, ſed potius faucium extenuatio, talem anginam præprimis duplicem obſervo, unam in morbis chronicis a labe purulenta imprimis ortis; alteram in febribus acutiſſimis in mortem tendentibus.

§. CIV.

Angina, quæ in morbis chronicis ſine tumore obſervatur, eſt præcipue angina phthiſicorum, quæ non in quocunque phthiſeos ſtadio, ſed in ultimo obſervatur cum reliquis mortis imminentis ſignis. Solent medici quidam aphthas accuſare, ſed certo rariſſime aphthæ adſunt, uti ſectiones cadaverum phthiſi defunctorum docent. Si quid proſit, proderit ſorbillatio frequens lactis tepidi vel ſimi-

milium. Similis angina ab aliis quoque viſceribus labe purulenta corruptis occurrit, præcipue hepatis. Vid. Sauvages Tom. I. p. 492.

XXXV. Angina febre acuta morientium.

§. CV.

Non mihi hoc loco ſermo eſt de anginis, quæ in variis febribus acutis occurrunt, nam de his ſuperius quædam attigi, ſed de illa ſolum ſpecie, quæ ultimo febris acutæ tempore accedit, quæque ſub morbi decurſu non adfuit; ſtipatur reliquis mortis imminentis ſignis; deglutitio fit laborioſiſſima, cum ſummo molimine partium colli, facile viſibili, & tamen non niſi paucam liquidi portionem adhuc per pharyngem transprimere poſſunt, quæ ulterius per œſophagum cum ſonitu in ventriculum delabitur. An unquam in tantillæ vitæ ſuperſtitis ſcintilla quisquam eſt ſervatus? Vix puto, tamen nunquam oportet ægrum relinquere, donec vitæ finem faciat, quæ nos omnes exſpectat, mors.

II.

IGNATII SPALOWSKY,

MORAVI-STRASNIZENSIS

DISSERTATIO

DE

VOMITU.

De Vomitu.

Vomitus definitur esse violenta rejectio contentorum e ventriculo per os.

Variam Auctores tenent hujus morbi divisionem: sic a quibusdam in febrilem, non febrilem, idiopathicum, sympathicum, criticum, symptomaticum, dividitur. Aliis e contra divisio a materia re-

rejecta petita præplacet, ut ita alium dicant vomitum bilioſum, alium æruginoſum, vitellinum, iſatodem, pituitoſum cruentum &c. Facile vero unicuique in promtu eſt, haſce diviſiones non omnino plenarie in ſana medicatione nos dirigere; hinc aliam magis practicam ſuppeditabo diviſionem, a cauſa nempe vomitum producente petitam. Frequentiſſimas igitur ſpecies ſequenti ordine enarrabo, ut 1mo loco conſideretur *vomitus ſaburralis;* 2do *inflammatorius;* 3tio *ſpaſmodicus;* 4to *ab acribus quibuscunque adſumtis, vel venenis;* 5to *a vitio organico;* 6to *hernioſorum;* 7mo *calculoſorum;* 8vo denique *a vulneribus capitis.* Ad quas nunc præcipuas ſpecies plurimæ aliæ reduci poſſunt.

Vomitus Saburralis.

Ad ſaburralem vomitum reduco 1mo *vomitum crudorum*, illum nempe, qui ab ingluvie quacumque prægreſſa exoritur, a cibis nimium quantum diſtendentibus ventriculum; ſequitur exinde vomitus, & quidem omnium adſumtorum, parum aut nihil immutatorum. — Noſcitur hoc malum facile; ructus enim rancidi, nidoroſi prægreſſi, tumor & inflatio ventriculi, anxia reſpiratio, prandium lautum prægreſſum cum nunc conſequente rejectione crudorum ſufficientem hujus morbi præbent diagnoſim. Naturam hic ſollicite evacuantem adjuvare indicatio poſcit, quare eodem ſcopo copioſi potus diluentes, attenuantes propinandi, larga copia juſculorum exhibenda, ut his adſumtis materia peccans facilius evehatur. Quodſi tamen vomitus ille ſpontaneus inefficax eſſet ad omnem

materiam e ventriculo ejiciendam, etiam ad ipsum artificialem vomitum foret accedendum.

2do. Alius vomitus saburralis est *biliosus* a materia biliosa, vel biliformi ventriculum inundante, & nunc excreta. Frequentissima est hæc species, & ut plurimum æstivo tempore ut symptoma febrium biliosarum adparens; etiamsi quoque sine febre comite nonnunquam se ostendat. Lingua tunc biliosa, sordida, flavescens; sapor oris amarus, depravatus; appetitus penitus dejectus, & nausea; ructus rancidi, amari; cardialgia; anxietas præcordiorum, & jactatio magna; pulsus celeres & imbecilles, accedente nunc rejectione per os materiæ biliosæ hunc vomitum ab alio probe distinguunt. Observatio jam antiqua est Baglivii, eos, quibus biliosæ sordes circa præcordia collectæ hærent, pulsus celeres, imbecilles habere, quæ tunc fictitia debilitas tollitur, quoties materia hæcce gravans de corpore eliminatur. Vomitum sic enatum per medicamenta diluentia, solventia copiose hausta adjuvamus, & reliquiis postmodum per salina eccoprotica ano rejectis curamus. Si vero vomitus ille ad omnem saburram acrem eliminandam non sufficeret, ipso quoque vomitu artificiali reliquias auferimus. Patet hinc, in hac specie canonem illum Hippocraticum valere: *vomitum vomitu esse curandum.*

3tio. Refertur huc *vomitus pituitosus* dictus a pituita primarum viarum collecta, homines laxiores, debiliores, phlegmaticos, pingues, senes præcipue infestans. — Ægri hoc morbo adfecti de pondere ventriculi conqueruntur, nullo gaudent appetitu, & adsumto etiam cibo brevi post oppres-

sio-

sionem & auxiam respirationem experiuntur; ructus habent fatuos; linguam muco obductam exhibent; urinam crudam aut pallidam mingunt cum mucosis nonnunquam filamentis innatantibus, aut mucoso sedimento ad fundum secedente; leviores accedunt vomituritiones, & materiam paucam ductilem, tenacem rejiciunt. — Ægris talibus continuo vomitus leviores patientibus, & tenacem paucam materiam evomentibus sub actuali vomitu remediis salinis copiosis, mucum incidentibus succurrendum est, & muco nunc inciso, vomitu eodem insufficiente, materia tenax, sed parcissima excreta, & signis repleti mucoque obducti ventriculi præsentibus emeticum exhibendum, & reliqua materia salinis datis per anum eliminanda est. Ablata pituita primarum viarum genesis ejusdem futuræ est præcavenda; hinc amaricantia, resolventia, leniterque roborantia exhibenda, motus corporis simul, diæta aromatica, frictiones injungendæ sunt.

4to. Non raro alia species vomitus saburralis homines divexat, orti nempe *ab acido* in primis viis stabulante, in infantibus persæpe occurrens, & non raro viros hypochondriacos, fœminas hystericas, sedentarios, litteratos excrucians. — Debilitas corporis universi antea cognita, pallor faciei, cardialgia sæpe jam antea observata, appetitus aliquando summus, aliquando penitus dejectus, pondus ventriculi, tormina, nunc accedentibus ructibus acidis, & rejectione materiæ acidæ austeræ declarant, hunc vomitum ab acido primarum viarum nasci. — Salutem dant, facilitata prius vomituritione, exhibita omnis generis absorbentia, & acidum eliminantia; hinc lapides

cancrorum, oſtracodermata, magneſia muriæ cum rheo aut myrobolanis conjuncta maximam laudem merentur. Abſorpto autem & eliminato acido indicatio eſt, geneſim futuri acidi præcavere; amaricantia quævis roborantia huic ſcopo apprime conveniunt. Nonnullos acido laborantes mire juvat potus aquæ frigidæ.

Vomitus Inflammatorius.

Vomitus inflammatorius ſub nomine *gaſtritidis* notus ſignis quibusdam characteriſticis ab aliis ſeſe diſtinguit, quod nempe cum continuo, fixo, ardente, vehementer pungente, adtactum repudiante ventriculi dolore conjunctus ſit. Ægri in ſtatu hoc miſerrimo poſiti cuncta, quæ adſumunt, intolerabili cum dolore, & ſingultu per vomitum rejiciunt; multum interim anguntur, validiſſimam experiuntur ſitim, & pulſum durum, acceleratum, ſæpe vero prorſus ſuppreſſum & contractum exhibent. Dolor, quem dixi eſſe fixum in regione ventriculi, adtactum repudiantem, nonnunquam adeo increſcit, ut ægri toti palleſcant, corpore toto ſudoribus madeant, extrema frigeant, & pulſus in trementem potius, ac pulſantem mutetur. — Ex brevi hac deſcriptione patet, morbum hunc ſumme periculoſum maximam attentionem ſibi vindicare, ne vomitu deceptus Medicus ad medicamenta accedat hic ſumme noxia, & pernicioſa. Hinc cura ſumme antiphlogiſtica adhibenda, Venæſectiones largæ, & eæ pro neceſſitate repetitæ inſtituendæ erunt, clyſmata emollientiſſima injicienda, & ſimilia cataplaſmata parti adfe-

ctæ

ctæ admovenda, hæc cataplasmata nonnunquam levissima sint, oportet, cum ægri ob nimium dolorem graviora sæpe vix ferant. Interne potus antiphlogistici emollientes tepidi parca, sæpius autem repetita copia ingerendi, atque hac methodo non raro contingit, ut ægri ex orci faucibus eripiantur.

Ad vomitum inflammatorium refero pariter vomitum observatum ab inflammatis aliis visceribus abdominis quibuscumque. Cura talis vomitus sympathici ex notione inflammationis, & signis inflammati visceris repetenda est.

Vomitus Spasmodicus.

Per vomitum spasmodicum intelligo illum, qui a sola irritabilitate oritur. Præcedunt hunc ut plurimum symptomata quædam singularia, quæ non parum ad diagnosim conferunt. Etenim vertigo, obscuratio visus, tremor artuum cum urina pallida copiosa crystallina non raro prodromi sunt hujus adfectionis; paulo post sequitur vomitus, quem symptomata antea enarrata una cum animi pathematibus prægressis, & irritabilitate subjecti nota, & absentia signorum in aliis speciebus occurrentium spasmodicum esse declarant.

Ad hunc refero vomitum in gravidis primis mensibus observatum, vomitum navigantium, aut rheda vectorum, vomitum ab animi pathematibus prægressis, & tandem vomitum a visu rerum ingratarum.

Notum est, *primis graviditatis temporibus* mire adfici systema nerveum in fœminis, vertiginem, cardialgiam, & præter plurima alia mala etiam vomitum produci, qui plerumque non compescitur, nisi tempore; graviditate enim jam ulterius provecta sponte cessat; solaminis tamen aliquid adfert diætæ mutatio, si omnes illi cibi removeantur, a quibus modo incipiente graviditate abhorrent, sique medicamentis antispasticis utantur; ut plurimum acida mineralia dulcificata, mentha, chamomilla, asa fœtida, scuta stomachica, nodulı antihysterici laudari merentur. Plus ceterum incommodi, quam periculi hic vomitus habet.

Vomitus navigantium, aut rheda vectorum adverso corpore tollitur aquis aromaticis cinnamomi, chamomillæ, melissæ, menthæ; quibusdam mire prodest Coffée, aut vini generosioris parca copia. Ceterum tempore & consuetudine ut plurimum cessat. Mire adsuescunt ii, qui adverso corpore curru vehuntur, si sæpius modico tempore sub itinere ita sedere cogantur, vel si oculis clausis sedeant.

Vomitum *ab animi pathematibus*, uti a terrore, ira, mœrore natum curamus antispasticis. Notandum tamen est, vomitum ab ira exortum majorem attentionem mereri, in ira enim non tantum nervi adficiuntur, verum etiam valide adficitur systema biliferum; bilis enim ejicitur copiosa ad primas vias, & si nulla ejiciatur, icterus oritur. Hæc est ratio, cur prosit in ira vomitus, & a morbo præserventur ii, qui post iram vomunt, aut in diarrhæam incidunt. Hinc est, quod cremor tartari,

tari, salia media, eccoprotica, acescentia jusculacum succo citri, & diarrhœa spontanea post iram adeo profint. — Mœrore confecti post pastum quoque vomunt; mœror enim diuturnus debilitat actionem ventriculi, eumdem languidiorem reddit. Hoc in casu abstinendum est ab opiatis, quæ magis omnino actionem fibrarum delent; iisdem tamen, si vomitus ille nimis diu protraheretur, & periculum minitaretur, utendum erit. Ceterum vero blanda eccoprotica, quæ effusam bilem & cruda ingesta eliminant, exhibenda erunt, & postmodum blandis roborantibus, aromaticis, scutis stomachicis ventriculi vigor restaurandus est. Cura vero plenaria ablata mœroris causa distractione varia peragetur.

Vomitus *a visu rerum ingratarum* exortus tollitur oblivione, sublata imaginatione, & antispasticis.

Gravem hic ultimo suppeditabo regulam, in omni vomitu spasmodico dirigentem, ne scilicet vomitum hunc cum bilioso saburrali quis confundat. Etenim non raro biliosa ejicitur, & os amarescit; per omnem enim vomitum spasticum diutius paullo perdurantem concusso valide abdomine bilis copiosa effunditur, quæ effusa & rejecta minus cauto pro saburrali imponere posset, ut medicamenta longe diversa, morbum potius exasperantia exhibeat. Ast tempus anni biliosis adfectionibus minus favens, irritabilitas subjecti nota, symptomata enarrata, & amaror oris antea non præsens, sed primo post vomitum biliosum exortus sufficienter illum a saburrali discernere facient.

Vomi-

Vomitus ab acribus adſumtis.

Vomitus ille oritur a venenatis acribus ingeſtis, a fungis venenatis, ab arſenico adſumto, ab emetico quocumque, a purgantibus acribus draſticis exhibitis nimis larga copia, aut ſubjectis irritabilioribus. Vomitus a fungis venenatis ſalutaris, cum eo ipſo ſaburra noxia excutiatur. Vomitus ab arſenico plerumque lethális, niſi cito obvietur potu largo lacteo, oleoſo; etiamſi ferme arſenicum vomitu ipſo excutiatur, vel adſumto largo potu enervetur, vomitus tamen perdurabit a ſola ventriculi inflammatione per arſenicum inducta. — Vomitus ab emetico hic noſtram adtentionem non meretur, niſi ipſa emeſis arte concitata validior ſit, & tranſeat in hyperemeſim, nec etiam vomitus ab adſumto purgante, qui facile contingit in hominibus irritabilioribus, & remedia multum nauſeantibus. In hyperemeſi omni plurimum prodeſt balneum, aut cataplasma calidum ſpirituoſum; etenim alia nervis diſpoſitis inducitur, cum cataplasma calidum, aut balneum calidum diaphoreſim moveat, eamque largam; prodeſt itidem enema, cum diaphoreſi aut alio modo ceſſet vomitus, præcipue is, qui oritur a nimia irritatione ventriculi.

Vomitus a vitio organico.

Vitium organicum ventriculi varium deprehenditur, frequentiſſimum tame., quod occurrit, ſcirrhus eſt, ſcirrhoſa lata durities, quaſi cartilaginea ventriculi. Tali ſcirrhoſa ſemicartilaginea duritie pylorus nonnunquam ita anguſtatus deprehenditur, ut tenuiſſimum ſpecillum vix poſſit tranſigi.

ſigi. Complures tales obſervationes ſectionibus cadaverum comprobatas hanc cauſam vomitus fuiſſe teſtabantur. Homines ejusmodi vomitu plerumque chronico laborant, is quocunque diei tempore invadit, maxime tamen una alterave a paſtu hora. Non vero ab initio vomunt omnia ingeſta, ſed tantum ſolidiora, eaque fors paullo copioſius adſumta; in initio retinent parcius adſumta, nec ſemper ab omni paſtu redit vomitus, ſed rarius, & ſubinde ſolum, deinde vero de tempore in tempus frequentius, & tandem quotidie vomunt. Præter ingeſta ingentem pituitæ ductilis ſimul quantitatem egerunt. Interea prout vomitus increſcit, crebriorque de die in diem evadit; ſic alvus magis moroſa redditur, & demum perquam adſtricta, tandemque nulla. Pallent, emaciantur, oculos habent aliquando ſubflaveſcentes, tandem enervantur, & tumentibus ut plurimum cruribus circa malleolos atrophici pereunt. — Cura in talibus rariſſima eſt, & vix unquam plenaria obtinetur, plerumque enim ea duricies eſt, ut nulla amplius ratione ſolvi queat. Solventia tamen medicamenta iisdem propinantur, quæ vero ne validiſſima ſtatim ſint, cavendum eſt, partim ne locum obſtructum irritando inflamment, & ſcirrhoſa durities in cancrum convertatur; partim ne nullo edito ſalutari effectu reliquam ſanitatem peſſumdent. Cura vero pallians conſiſtit in diæta mere liquida, & ſimul admodum nutriente, juſculis meris cremoribus, panatellis tenuibus parce, at frequentius ingeſtis. Convenit porro alvum adeo hic adſtrictam enematibus ſollicitare, & non raro ipſis clysmatibus parvis ægrum nutrire, ita ut hac arte ægri vitam miſerrimam diutius protrahant. Scirrhoſa hæc adfectio ut plurimum ſubjecta potibus ſpirituoſis nimium quantum dedita invadit,

dit, & non raro pediſſequa eſt poſt febres intermittentes male curatas, cortice ſuffocatas. — Vomitus hic nonnunquam confunditur cum alio vomitu etiam chronico, fœminas chloroticas, debiliores ſæpe infeſtante; dantur enim puellæ chloroticæ irritabiles, & ingeſta revomentes, & ipſa indicatiſſima remedia, ſi paullo majori adſumantur quantitate. Curantur tales tenuiſſima diæta injuncta, item remediis roborantibus, ſed parciſſime & paullo frequentius datis, remediis amaricantibus, ſtomachicis. Quod ſi vomitus ejusmodi chronicus, nec ipſo opis ſiſtendus Medico obcurrat, ejus eſt ad id adtendere, virne ſit, & robuſtæ alias, præcipue olim compagis, qui vomit, an vero fœmina debilis, laxa, irritabilis, & chlorotica. Falſo in Viri robuſti vomitu chronico ſanitatem promittet, ſicque ſe ipſum, & ægrum ludet; at vero plerumque in fœminis ſpem ſalutis faciet, ſed in junioribus, ceteroquin boni corporis, ſi ſigna irritabilitatis, aut chloroſeos adſint, etſi dicant, ſe opiata & ſtomachica revomuiſſe; fauſtam nihilominus prognoſim faciet; is enim plerumque error committitur, ut amaricantia ipſa fuerint nimia quantitate ingeſta.

Vomitus hernioſorum.

Herniæ, & eæ quidem variæ in abdomine reſidentes ſæpe vomitum excitant; ſic e. g. hernia ventriculi, ſi muſculi abdominales nimium quantum fuerint relaxati, dehiſcant, & ventriculum non cohibeant, ita ut is, ſi hoc modo dicere fas eſt, herniam efficiat; herniæ itidem inteſtinorum in ipſo abdomine latentes parvæ & incarceratæ, & non incarceratæ magnæ, ubi multa inteſtinorum moles pro-

prolabitur, & ſic ventriculus hac ipſa mole ad vomitum ſollicitatur. — Cura tali in caſu ipſi herniæ eſt facienda; hinc ſi incarcerata, & inflammata fuerit, quæ ſæpiſſime vomitum talem producit, reponenda, inflammationi per antiphlogiſtica & topica & interna erit proſpiciendum; patet hinc Venæ ſectiones, easdemque repetitas, remedia antiphlogiſtica emollientia interna, clysmata talia continuo injicienda, & cataplasmata topice adplicanda, quin & balnea, ſemicupia maximam tali in caſu laudem promereri.

Vomitus calculoſorum.

Calculi tam per vias urinarias, quam per biliferas moti, non tranare potentes, vomitum pariter excitare ſolent. Noſcitur ex ſymptomatibus calculi vel in viis urinariis, vel in biliferis præſentis. — Indicationes hoc in caſu ſunt, calculo viam facilitare, id quod efficitur relaxando partes, quas permeat, ita ut facilius moveatur. Hinc mucilaginoſa copioſo ore hauſta, ano injecta, fomenta, cataplaſmata, balnea primarium tenent locum. Vomitus hic ſympathicus male ſtatim ab initio opiatis ſiſtitur, cum is conamen ſit naturæ ſalutare calculum propellentis. At vero, ſi nimium ſit validus, ſi juſto diutius duret, ſi nimis debilitet, ſi ſpaſmi validiſſimi accedentes calculo prodeunti remoram ponant viam intercludendo: tunc ad opiata cito confugiendum erit, ut vomitus ſiſtatur.

Vomitus capite vulneratorum.

Mirus ventriculum inter & encephalon est consensus, mirum commercium; vix aliquid animæ adfectiones adeo turbat, ac ventriculus gravatus; sed etiam originarie adfectum encephalon functiones turbat ventriculi vice mutua. Vulnerato valide capite, concusso cerebro, aut etiam non raro eodem inflammato oritur vomitus poraceus, æruginosus, viridis, quem, si a tali causa oriatur, mali ominis ut plurimum habemus. Per se patet, quantum interfit, ut vomitus hic sympathicus ab idiopathico bene discriminetur, ne neglecto encephalo medeamur ventriculo in perniciem ægri. Cuncta tunc remedia vomitum sistentia effectu carent, nisi causa in encephalo existens antea tolli possit; hinc medela capiti varia pro varietate læsionis facienda est.

COROLLARIA.

Coronidis loco regulas quasdam practicas notatu admodum dignas circa vomitum adferam, quæ medicantem dirigant, ne in morbo adeo atroci perversa medela adhibita noceat; & quidem

I. In omni vomitu sollicite inquirenda est causa ejusdem; non statim empyricorum more de sistendo vomitu cogitandum, non statim ad opiata, narcotica confugiendum.

II.

II. In omni vomitu, præcipue pertinaciori alvi obstructione præsente, indagandum est; an non alicubi hernia lateat, quod ex ipso ægro expiscandum est; attamen & confessioni hujus non semper fidendum, fœminis præsertim hac in re minus credendum, quam viris, cum hernias ob intempestivum pudorem occultent; dein non raro hernioſus tumor alicubi adest tota mali causa ab ægro ignorata; novimus enim, pessimas esse incarceratas ilias hernias, quæ exiguæ sunt; novimus tales exiguas hernias ab hominibus rudioribus, & rerum incuriis occultari, aut penitus ignorari; novimus herniam talem posse esse incarceratam, quin in loco incarcerationis magnus adsit dolor; hæc doloris absentia, incarcerata exigua, sua mole non facile se prodens ægrum & Medicum non nunquam decipit; non enim infrequens est videre, quod in hernia incarcerata vomitu jam præsente stercoreo dolor ad ventriculi regionem sit nullus, vix ullus per totum abdomen, nisi rudior in loco hernioso fiat contrectatio.

III. Alvus in omni vomitu libera est servanda; insigniter enim vomitus, alvo libera reddita, mitigatur, quin & non nunquam tollitur.

IV. Non idem periculum vomitus in omni subjecto minatur. Dicenda hic quædam sunt generalia, ut sciamus, ubi plus timere oporteat, ubi minus; sic vomitus infantum minoris est plerumque momenti, ac virorum, minus metuendus est vomitus puerorum, puellarum; vomitus fœminarum, ætatis juvenilis, quam ætatis progressæ. At vero majorem attentionem meretur vomitus vi-

rorum ſtrictorum, ſeniculorum, vomitus gravidarum, hæmoptoicorum, phthificorum.

V. Ex dictis igitur apparet, infantibus ac pueris facilius & tutius emetica præſcribi, etſi tamen rarius præſcribantur, forte ideo, ne tenella, adeo irritabilia infantum corpora nimis adficiantur, convellantur, etiamſi hac ætate ſæpius, ac in aliis ob vitia diætetica, & ſaburras collectas emetica indicarentur.

VI. Adultis robuſtis, & ſeniculis paullo cautius ſunt exhibenda emetica, & ad ea, ut plurimum debent prædiſponi ſanguine, ſi quid plethorici adſit, antea detracto, quo demto materiam vomitu reddendam diluimus.

VII. Sæpe, quin immo plerisque vomitu præſente ſpontaneo, aut artificiali inducto brevi poſt paregorica exhibentur. Verum tamen, etiamſi aliquando caſus dentur, ubi vomitus nimium excedit, ubi irritabilitas ſubjecti nimia eſt, ubi materies jam evacuata: tamen non raro peccatur a nonnullis, quod hyperemeſi nondum præſente, materia nondum evacuata paregorica exhibeant; tum enim materia retenta in ſecundas vias ablegatur, & febres gaſtricæ nonnunquam mali moris, putridæ ſaburrales generantur. Patet hinc opiata, & vomitum ſiſtentia maximam circumſpectionem mereri, ne iisdem intempeſtive exhibitis mala multo majora inducantur.

III.

WOLFGANG. PICHLER,

CARINTHI - GRADENSIS

DISSERTATIO

DE

PODAGRA.

§. I.

Quamvis mihi propoſuerim præcipue de podagra diſſerere, quam regularem, & exquiſitam jam facile eſt a doloribus rheumaticis diſtinguere; tamen non abs re duco, notas quasdem characſtericas adnotare, quibus vera arthritis in genere a rheumatiſmo differre obſervatur, cum ab omni tempore peſſimo nonnunquam errore practico confunderentur

tur hi duo morbi; idque eo facilius, quod sæpe uterque adsit in eodem subjecto, & nonnunquam rheumatismus pertinax, neglecta, aut inepta medela inveteratus in veram abeat arthritidem. Sunt autem sequentia, quibus distinguas.

1. Rheumatismus omni tempore, omnem omnis ætatis hominem in reliquis nonnunquam saniſſimum, subito, ex cognita sæpe, levique causa aggreditur; cum arthridis certa tantum subjecta amet, ejusque causæ sint magis obstrusæ, graviores, remotiores, succeſſive, & quasi clanculum agentes.

2. Dantur homines, qui semel tantum in tota vita rheumatismo vexantur; hinc is bene fugatus, redire non adeo consuevit, uti arthritis, quæ semel præsens, & infestans certis periodis adstricta perpetuo redit.

3. Arthritidem non quidem dixerim contagio, quamvis & id multi velint, sed vitio hæreditario propagari certum est; sed æque certum est, rheumatismum neque contagio, neque hæreditate propagari.

4. Arthritis semper signis læsæ digestionis stipatur, causasque numerat ejus naturæ, qua præcipue actionem primarum viarum destruere valent; unde etiam anorexia, ructus, flatus, cruditates, cardialgia, halitus fœtens, alvus morosa cum torpore, & gravitate membrorum plerumque prodromi arthritidis notantur. Si hæc rheumatismus comitantur, casui, non morbo adscribes.

5. In rheumatismo plerumque febris excipit dolorem; in arthritide vero cessat, quamprimum pars affecta tumere incipit.

6. Rheumatismi chronici, quo vetustiores, eo libentius in parte, cui insederunt, figuntur, locum vix unquam mutantes; arthritis vero, quo vetustior, eo magis locum mutare amat.

7. Sedes arthritidis præcipue in ligamentis capsularibus articulorum est; dum rheumatismus latius diffunditur, & potius cellulosam musculorum membranam occupat.

8. Rheumatismus satis cito sæpe curatur; arthritis (credo) nunquam.

9. Ille cedit sæpe remediis, quæ huic nocent, & contra. Sic e. g. tepor dolores arthriticos mitigat, exacerbat rheumaticos, si chronicos, & frigidos excipias.

10. In arthritide urina, & alvus fœtent.

11. Arthritis retropulsa præ reliquis partibus internis infestat ventriculum, pulmones, intestina, renes, & encephalon; rheumatismus vero potius collum, hepar, lienem, diaphragma, & vesicam urinariam, quamvis id etiam non constanter verum sit, de quo nos dysenteria simplex convincit, quam sub idea rheumatismi depositi ad intestina concipimus.

12. Arthritis, præterquam quod majores articulos occupet, præcipue minores phalangum pedis, & manus obsidet, quod raro rheumatismus consuevit.

13. Affinitas materiæ arthriticæ cum calculosa, quam Cl. *Clerk* ex *Pringle* afferit, non extenditur ad rheumaticam. Vidit autem hic in urina arthriticorum fila natantia, quæ exempta pellucent, exsiccata vero nil, nisi terram albam calcaream sistunt, quam pro communi materie arthritidis, & calculi habet.

14. In rheumatismis nunquam in ambitu articuli concretiones illæ cretaceæ oriuntur, quas in arthritide sæpius vexante jam, sub tophorum nomine observamus.

15. Etiam in causis notabilis differentia deprehenditur; nunquam enim eæ, quæ arthritidem invitant, defectus exercitii corporis, venus nimium exculta, & lautum vitæ genus per se rheumatismum effecerunt.

§. II.

Præmissis his jam ipsam podagram pertractare aggredior. Pertinet autem podagra ad familiam arthritidis, matris communis chyragræ, gonagræ, lumbaginis, & ischiadis arthriticæ, inter se non natura, sed solo loco distinctam, quam definiunt sub doloribus articularibus periodicis vere nempe, & autumno recurrentibus, qui, dum pedes infestant, podagram constituunt.

Di-

Diviſio ejus obtinet: 1mo. Ratione originis in *hæreditariam*, & *acquiſitam*. 2do. Ratione typi *in regularem*, ſeu formatam, & *irregularem*. 3tio. Maxime practica in *depoſitam*, & *retropreſſam*, ſeu anomalam SYDENHAMI.

Sedem morbi ponunt in minimis vaſculis tendinum, ligamentorum, & membranarum perioſtei circa articulos.

§. III.

Cauſam proximam genuini practici ignorare fatentur; interim illam concipiunt in ſingulari quadam, & ſpecifica acrimonica, & viſcoſitate tenuiſſimorum humorum cum obſtructione, & rigiditate vaſculorum minimorum juncta ſimul debilitate primarum viarum.

Remotæ vero plurimæ obſervantur: Fœminis, pueris, & enuchis ab hoc morbo exceptis, prædiſponunt parentes podagrici, ſexus virilis habitu corporis laxo cum capite grandi, ſenium, vita mollis, lauta, & ſimul ſedentaria omiſſis exercitiis antea conſuetis, compotatio vinorum præcipue acidorum intemperata, venus præmatura in ingreſſu pubertatis jam exculta, aut ſerior, ſed nimia, ſtudia diu, noctuque culta, & animi pathemata varia præcipue mœror. Excitat forte ſuppreſſum perſpirabile vere, & autumno. Annon etiam aliæ febres epidemicæ, vel ſtationariæ vices cauſæ excitantis agunt? Saltem complicatum paroxyſmum podagricum cum febre bilioſa, dum illa

ſtationem occupaverit, ipſe vidi, methodo antibilioſa in normam redactum.

Videmus omnes has cauſas in eo convenire, quod actionem ventriculi, & inteſtinorum debilitare, & vario modo depravare valeant in damnum ulteriorum coctionum; verum neutiquam conceptum exhibere, quomodo hæ, quotquot ſunt, tales mutationes in ſolidis, & fluidis corporis humani inducant, quibus factis neceſſe ſit, hunc morbum poni; neque ſpero unquam nos hac in re multum progreſſuros, cum lateant illæ ſingulares conditiones, quæ efficiunt, ut applicatione harum cauſarum hic, & non alius morbus producatur.

§. IV.

Quemadmodum mancam adhuc cauſarum enucleationem dolemus apud omnes practicos, ita de elegantiſſima ſymptomatum deſcriptione gaudemus in SYDENHAMI tractatu de podagra, quam pro ambitu diſſertationis extraxiſſe ſolum ſcopus erat, meisque confratribus ex ipſo fonte uberius hauriendam commendo.

Paroxyſmus plerumque ſubito invadens miſerum e ſomno excitat ad cruciatus ingentes. Nil eum tanti hoſtis commonet, præter apepſiam, nauſeam, ructus, flatus, torporem, & gravitatem membrorum, ſingularem animi dejectionem, & ſublatam, vel ſaltem imminutam curis excretionem. Poſtea prægreſſa horripilatione, & calore ſubito dolor oritur potiſſimum in pollice pedis nonnunquam etiam in junctura calcanei, & tarſi, ab ini-

initio neque adeo validus, neque fixus, sed successive continuo validior, castra quoque firma ponit vexans ægrum urendo, gravando, pungendo, mordendo, lancinando, quasi officula tarsi, metatarsi, vel phalangum dislocare velit, vesperi, & per noctem semper crudelior, tandem transacto nycthemero ab ingressu paroxysmi mane circiter hora secunda, vel tertia, digesta, partimque diffiata materia morbosa remittit adeo, ut somnum capere possit æger, ex quo expergefactus insigniter se levatum sentit, partemque affectam madere, & tumere videt. Sequente die, si copiosior fuerit materies podagrica, quam ut primo paroxysmo vel difflari penitus, vel deponi in tophum potuerit, dolor sed remissior tamen remanet ea lege, quæ in colica saturnina, venereis obtinet, ut nempe exacerbatus vesperi, mane remittat; idque per plures dies, immo per septimanas continuat. Absoluto paroxysmo in uno pede alterum idem dolor corripit, eodem modo fugandus, ita, ut habeas seriem paroxysmorum, qui simul sumpti constituunt integrum illum paroxysmum podagricum sæpe ad menses duos, & ultra extensum. Dum æger sanitati proximus est, pars prius tentata immaniter prurit, & desquammatur, quo facto, robur corporis, & sanitas sensim restituitur, firma manens, usque dum vere, vel autumno, vel utroque anni tempore idem hostis resumptis viribus ad longiora adhuc tormenta redierit.

Sic se habet podagra regularis; nunc etiam quædam de ejus anomaliis dicam. Podagra diu, sæpeque vexans successive vires corporis deterit, partesque consuetas per depositiones tophaceas recipiendæ materiæ podagricæ ineptas reddit, quo

facto, primo alios simul articulos petit, reliquam arthritidis familiam sibi associans, tandem vero plane non deponitur ad articulos, sed ad nobiliora interna qualiacunque demum viscera diversissimos, & periculosos admodum morbos fingens, quorum finis mors consueta podagricorum. Hinc anomaliæ illæ raræ, pro varia parte, quam sibi virus podagricum eligit: Delirium, phrenitis, ophthalmia, asthma, peripneumonia, pleuritis, gastritis, cystitis arthritica &c. Hoc in casu vel nullus, vel multo levior in articulis sentitur dolor.

§. V.

Prognosis hujus morbi pessima, si curabilitatem ejus spectes, nam ab omni tempore inter incurabiles reponebatur, quamvis forte non desperandum sit, si subjectum bonum, vegetum, sat juvenile, & recenter podagricum fuerit, medela quoque apta, & diæta stricta accesserit. Quoad periculum vero & habitum morbi observarunt: 1mo. Podagram, quo vehementior adfuerit dolor, eo breviori etiam paroxysmo terminari, longiorique interstitio gaudere. 2do. Podagram non occidere, nisi retropressam, quam hinc 3tio semper periculosissimam notant.

§. VI.

Cura podagræ alia est extra paroxysmum, & alia in paroxysmo; præterea hæc iterum subdividitur in curam podagræ depositæ, & in curam podagræ non depositæ, seu retropressæ.

1. Extra paroxysmum tota medicina eo dirigi debet, ut causis remotis occurratur. Hinc abstinentia a nimio exercitio veneris, studiorum, & animi affectuum; consortium amicorum, qui menti hilaritatem conciliare valent: negotia seria, sed amœna, non nimiis curis juncta, quibus & corpus, & animus perpetuo, sed non ad tædium, & defatigationem usque occupatur: moderatum exercitium corporis: obambulationes: equitationes, vectiones in curru tempestate sicca, & cœlo hilari; fuga otii, vini acidi, & intemperatæ gulæ, commestio talium rerum, quæ facile digeruntur, sive ex regno vegetabili desumpseris, sive ex animali, sive ex utroque: ad prandium compotatio cerevisiæ tenuis bene lupulatæ, vel aquæ frigidæ subjuncto dein, ut consuetudini sua dentur, uno, alterove vitrello vini generosioris, cum plenaria vini abstinentia in homine, qui ei adsuetus erat, plus mali, quam boni præstet: prudens attentio ad viciſſitudines aëris præcipue consueta paroxysmi redeuntis periodo, ut suppressio materiæ perspirabilis evitetur: demum leniora tonica interpolatis, dum signa natæ saburræ id jubent, leniſſimis eccoproticis e. g. electuario lenitivo, unica sunt, quibus pugnare oportet. Laudant hinc in eandem indicationem corticem magellanicum, ferrum, melius autem rheum, & ejus tincturam aquosam parce, & sæpius datam, aquas spadanas cum, vel sine lacte, gentianam Halleri, & totam classem amararum, quæ non nimio cum stimulo agunt.

Fuere qui summam spem in promota largiter perspiratione posuerint; verum, quemadmodum omnis sapiens medicus summum usum attentionis debitæ in evitanda suppressione transpiratio-

nis

nis agnoſcet, ita perſpiciet quoque facillime, violentam ſudorum expreſſionem vires corporis deterere, ſanguinem liquidiſſimis privare, efficereque ut potius ſæpius, crudeliusque redire debeat paroxyſmus, bona adhuc fortuna, ſi redeat, cum non minus detritis viribus, & viſcoſitate humorum aucta anomalias invitare poſſit.

De reſolventium quoque uſu adeo celebrato mentionem facere debeo; laudant enim antimoniata, & guajacum, præcipue ejus reſinam, & tincturam inde paratam. Non negaverim reſolventia ob viſcoſitatem humorum in podagricis obſervatam indicari; verum id tantum moneo, plus ſpei habendum eſſe in methodo diætetica prius memorata, utpote, quæ fontem malorum, primas vias, lente quidem, & ſucceſſive, ſed absque omni periculo, & ſemper tamen cum aliquo bono effectu corrigit, quam in reſolvente, præcipue ſpirituoſa, quæ ab optimis practicis primis viis infenſa agnoſcitur, & præterea id incommodi habet, quod diu, uti debet, uſurpata peſſimis, in tali ſubjecto inflammationibus, chronicis nempe, & latentibus complicatis cum viſcoſitate pituitoſa humorum anſam det.

Neque diætam lacteam, qua multos a paroxyſmo per longiſſimum tempus immunes conſervaſſe gloriantur plurimi, reticere hic poſſum, quæ, quamvis forte optima, ſi ſubjectum fuerit recenter podagricum, ſat juvenile, robuſtum, & ob acrimonias uſum lactis poſcat, tamen peſſime conducit, dum in reliquis non debita diæta, neque exercitium corporis acceſſerit. Dolendum præterea, quod per diurnum uſum lactis ſolius, vel cum

ve-

vegetabilibus tenerrimis, uti jubent, vires concoctrices adeo desuescant a reliquo nutrimento, ut dum homo tandem tædio simpliciſſimæ hujus diætæ correptus ad leviſſimam etiam sanorum revertitur, nil bene digerant, morbusque fractis induciis majori adhuc cum furore, & periculo miserum aggredi soleat.

2. In cura paroxysmi ipsius optimus quisque medicus in id intentus est, ut materies podagrica, quam citiſſime, & integre in articulos consuetos deponatur, amovendo impedimenta depositionis methodo non una simplici, aut specifica, sed diversa pro ipsa natura impedimenti. Hinc si videt subiectum debilius, senectute, morbo, vel quomodocunque labefactatum, vires vitæ depressas nimium, elevat cardiacis, stimulantibus, vinosis. Si in alio eædem vel orgasmo humorum, vel eorundem plethora, aut phlogosi exorbitent, eas deprimit venæ sectione, & potu emolliente tepido. Si vero febris alia complicata fuerit ex epidemia forte adscita, illi pro varia ejus natura medetur, inde est, quod lene diaphoreticum, mixtura sambuci e. g. si illa indolis rheumaticæ fuerit, solvens eccoproticum, purgans, aut emeticum, si biliosæ, depositionem sæpe integre absolverit. Neque partem ipsam, in quam depositionem exspectat, negligit, sed illam aptam reddit, & conservat ad excipiendam materiem fotu, cataplasmate, vel balneo tepido emolliente; abstinet autem a balneis frigidis, emplastris, unguentis pinguibus, resinosis adstringentibus, quæ omnia vel stimulo suo, & strictura impediunt decubitum materiæ in hanc partem, aut saltem poros obstruendo diffiationem de-

decumbentis, ut hinc paroxysmus saltem in longius protrahatur.

3. In cura podagræ retropressæ primum, quod medicus agat, est, ut indaget in causas, quæ utpote diversissimæ diversam quoque methodum requirunt. Sunt autem 1mo nimia quantitas, & moles materiæ podagricæ, quam ut in articulos deponi possit. 2do. Articuli ita constituti, & destructi frequentia, vel crudelitate morbi, tophis, rigiditate senili, aut prava methodo, & adstringentibus, ut inhabiles sint recipiendæ materiæ. 3tio. Vis vitæ nimium debilis ob senium, aut morbum sive prægressum, sive præsentem. 4to. Tandem peculiaris visceris alicujus interni dispositio ad recipiendam materiem podagricam, quam inducit singularis debilitas ejusdem, aut quævis affectio morbosa jam præsens in eodem juxta Hippocratis: Morbus ibi figetur, ubi antea jam aliquid ægrotaverit.

Noscis autem materiem podagricam recurrisse, aut non depositam esse ex sequentibus signis: 1mo. Si oborto jam dolore podagrico, sed leviori, quam alias consueverat, in alio simul viscere sese manifestet, quomodocunque larvatus. 2do. Si debite sæviens paroxysmus cesset plane nullo in articulis relicto dolore, dum interim vel colica, vel cardialgia, vel quiscunque alius morbus immediate subsequitur. 3tio. In casu illo tristissimo, ubi vocatus ad ægrum diriissima symptomata vides tentati alicujus visceris, quin levissimus dolor articularis suspicionem arthritidis tibi moveat, conjicies illam ex subjecto podagrico, & tempore, quo alias paroxysmus invadere solebat.

Cu-

Curam podagræ retropreſſæ ſecundum differentias cauſarum præcipue tribus capitibus complector. Vel enim 1mo vires vitæ in juſto moderamine ſunt, & cauſa retroceſſionis ſolummodo hæret in articulis. Vel 2do vis vitæ languet nimium. Vel 3tio eadem exorbitat phlogoſi aut orgaſmo humorum. In primo caſu interne indicantur infuſa leniſſime diaphoretica, & attenuantia, externe ad locum conſuetum ſcopo derivante balnea, cataplaſmata, & fomenta emollientia. In ſecundo externe balnea, cataplaſmata, & fomenta ſtimulantia, irritantia, ſinapiſmi, inuſtiones ferro candenti factæ, urticationes, cucurbitæ ſiccæ, veſicantia &c. Interne illa omnia, quæ vires vitæ erigunt, hinc tota claſſis ſtimulantium, & ſudoriferorum. Contraria prorſus methodus tertio in caſu obtinet, dum vires vitæ exorbitant; tunc enim ſola methodus antiphlogiſtica ſpem medici non fallit; hinc adhibere oportet venæ ſectiones etiam iteratas, ſi phlogoſis, aut plethora id poſcat, emollientia, inviſcantia interne tepide hauſta, enemata, cataplaſmata, & balnea ejusdem naturæ externe applicata, in tali enim ſtatu ægri virus podagricum in viſcus aliquod decumbens vices ſtimuli phlogiſtici agens veram inflammationem producit, qua ſua methodo abſterſa, aut ſaltem plurimum mitigata primum licet derivantibus materiem in loca conſueta avocare.

§. VII.

Ultimo disquiram methodos quasdam magis uſitatas, ut quantum valeam, determinem caſus,

in

in quibus cum nocumento, vel cum emolumento adhibentur.

1. Quidam in omni paroxysmo podagrico volunt conamen naturæ adjuvare stimulantibus, vinosis; verum utut in debilitate senili hæc sola methodum votis respondeat, in juvene, plethorico, robusto certe nocet, sequentes saltem paroxysmos graviores, & longiores reddens.

2. Alii opio utuntur, utpote citissimo, & potentissimo diaphoretico; egregie quidem, si ob spasmos undecunque natos materies podagrica in corpore retineatur, & illud exigua dosi per unum, alterumve granum scopo jam dicto detur; sed pessime si diutius ejus usus proatrahatur; nam quamvis forte hac methodo materies ad artus expelleretur, tamen relicta debilitate intestinorum, imo aucta, quod de opio certum est, major quantitas ejusdem extricabitur, ut inde graviores paroxysmos reddi necesse sit.

3. Alii in, ante, & post paroxysmum sæpius cataplasmatibus, & balneis emollientibus utuntur; non adeo bene, credo; etenim, quamvis sub ipso paroxysmo, ubi ingens tensio partium adfuerit, optime conveniant, tamen nocent scopo prophylactico partem, cui applicantur, debilitando, tonumque destruendo, ut inde quidem facilior descensus materiæ, sed difficilior longe diffla-tio ejusdem sequi debeat.

4. Quorundam methodus est, ut omnem paroxysmum podagricum curent, uti febrim inflammatoriam, ubique venæ sectionem celebrantes.

tes. Verum quid inde in ſenili ſubjecto, aut per morbum debilitato oriri debeat, videt quisque; dolores nempe mitiores quidem, ſed longiori tempore affligent, tandemque plane non depoſita materie anomaliis cedent.

5. Anglorum quidam ad podagricum vocati, ſive videant temperamentum ægri plethoricum, ſive aliunde metuant inflammationem, ſanguine e vena miſſo propinant unc. j. vel unc. ij. mannæ in aqua menthæ ſolutas adjecto ſale, & rheo. Ad ſopiendos nervos, qui per purgantia in podagricis facillime irritantur, adhibent caſtoreum, vel vero bolum pro maxima parte ex moſcho paratum, præcipue ſi materies altero die nondum depoſita fuerit. Si ſummus dolor ſimul adeſt, addunt quoque opium, ſed parciſſima doſi, ne primis viis infenſum noceat. Poſtquam depoſitio facta eſt, omni ſtudio adlaborant, ut cito proliciatur materies, quod efficiunt cataplaſmata ex mica panis, lacte, & theriaca Andromachi facta, vel ſi major debilitas, & inertia partis obſervetur, etiam veſicantibus. Finito paroxyſmo leni catharctico ex claſſe roborantium e. g. tinctura rhei vinoſa, reliquias morbi per alvum ſubducunt, quo facto demum pro cura confirmatoria ad corticem, & reliqua roborantia accedunt.

IV.

DOMINICI PAUR,

AUSTRIAC. ROETZENSIS

DISSERTATIO

DE

PHTHISI.

De Phthisi.

Dum de Phthisi loquor, non intelligo illam solum Phthiseos speciem, quam purulentam appellant, sed alias quoque species, ita, ut hoc nomine etiam tabem, hecticam, atrophiam comprehendam. Sunt, qui etiam inter singulas has species discrimen faciunt; sic Phthisim dicunt, dum hic morbus originem ducit ab ulcere interno corpus

pus depascente; si hoc ulcus sedem habeat in pulmone, Phthisin pulmonalem; si in hepate hepaticam &c. appellant, nomine scilicet deducto ab affecto viscere. Atrophiam adesse statuunt, si consumptio corporis contingat absque ullo febrili motu; attamen si motum febrilem observaverint, jam non atrophiam, sed tabem nominant.

Adest in hoc morbo emaciatio corporis evidens, ita, ut caro musculorum fere omnis videatur absumi, quamvis pinguedo sola sit inter fibrarum muscularium fasciculos locata, quæ atteritur, movetur, evacuatur, nec reparatur denuo, illæsa ipsa substantia musculari. Hanc emaciationem, si lenta fuerit, a quacunque demum causa originem duxerit, Phthisim seu tabem appellamus.

Phthisis Purulenta.

Phthisis purulenta adesse dicitur, dum pus in sanguinem resorbetur vel ex ulcere interne alicubi latitante, vel etiam externe apparente, sicque febrim excitat continuam remittentem tertianam plerumque, vel etiam aliam remittentium speciem: dum nempe pus in sanguinem resorptum majori copia adest, motum excitat, quo fit, ut pus majori impetu in circulum feratur, illudque aut depositum in cavum aliquod corporis varia excitat symptomata pro varietate partium affectarum, aut depositum ad collatoria quædam de corpore effertur; sic dum fertur ad superficiem corporis, forma sudoris expellitur; dum ad vias urinarias, forma urinæ jam turbidæ, aut cito turbidæ factæ

deponentis illico materiem albicantem: non glutinosam; dum ad alvum, plerumque excitat diarrhæam colliquativam. Hac vel simili ratione depurato sanguine motus humorum compescitur, atque quies redit corpori, donec iterum de novo sufficiens excitando motui majori materies purulenta in sanguine colligatur, quo facto idem denuo redit paroxysmus.

Patet ex his, qua ratione fiat, ut corpus emacietur, scilicet dum pus in sanguinem resorptum acrimoniam eidem inducit purulentam, sanguinem ineptum reddit ad nutriendum, causas tamen detritus majoris auget rodendo stamina solidorum, augendo motum humorum, alendo febrim hecticam.

Est et alia ratio, quare corpus in hac Phthiseos specie adeo consumatur, scilicet dum ulcus valde laxum est & magnum humorum affluxum patitur, aut latam plagam occupat, fit, ut ob magnam humorum deperditionem corpus privetur bonis succis nutrientibus, quibus reliquarum partium robur, ac musculorum torositas conservari deberet.

Ulcus, ut superius dixi, est aut internum, aut etiam externum. Interna ulcera in variis partibus, in variis visceribus deprehenduntur, uti in hepate, in liene &c., sæpissime tamen in pulmonibus deprehenduntur. Hinc pauca quædam de ulceribus pulmonum attingam.

Ulcera pulmonum diversam sæpe habent naturam, quam nisi exacte consideres, frustra in ejus medendi ratione desudabis. Hinc juvat paucis in hujus diversitatem inquirere.

Atque omnium primo ponamus, ulcus esse natum ab inflammatione pulmonum in suppurationem abeunte ruptoque abscessu ex integro, ita, ut pus liberrime ope tussis ejici possit, vel etiam non abscessu facto, sed statim nato parvo ulcusculo sensim majori facto ita, ut nunc majorem copiam puris boni fundat. Talis Phthisis a tali ulcere nata bonis ceteroquin & blandis humoribus in corpore præsentibus difficillimæ sanationis non erit, præcipue si nondum diu duraverit; etenim ejecto pure brevi aut sponte, aut etiam levibus remediis adhibitis poterit sanari. Attamen si abscessus pro parte fuerit ruptus, ita, ut pus liberrime egredi non possit, remanebit semper pars puris in pulmone, consolidatio nulla sperari poterit, sed pus attenuatum, in sanguinem resorptum alet febrim, hecticam. In hoc casu videntur emollientia, diluentia, diuretica blanda multum prodesse, quatenus ulcus laxant, aperturam vomicæ promovent, pus diluunt, & de corpore eluunt per vias urinarias.

Alia est ulceris conditio, dum undique apertum est, laxum, dum copiosum pus fundit, dissolutum, cænosum, dum vires vitæ sensim atteruntur, corpus consumitur. Certe in hoc casu indicantur talia, quæ ulcus quidem depurant, sed simul etiam roborant, suppurationem nimiam cohibent, acrimoniam involvunt & sanguinem vi antiseptica a corruptione præservant, qualia sunt cor-

tex peruvianus, lichen islandicus, cum emollientibus, polygala, plantæ vulnerariæ, vel balsamica blandiora.

Status ulceris huic conditioni penitus oppositus est, dum ulcus nimis tensum, subinflammatum, aut etiam inflammatum est: adest tunc sæpe quidam dolor thoracis oppressorius, aut etiam punctorius, quandoque autem vix percipitur, pulsus celer, subdurus, sanguis de vena missus crustam inflammatoriam ostendit. Hæc Phthiseos species, quæ inflammatoria dici posset, prioris remediis deberet exacerbari; curatur autem, aut saltem mitigatur venæ sectionibus de tempore in tempus institutis, parvis tamen, nec excedentibus quinque vel sex uncias sanguinis, ne vires vitæ corruant. Remedia conveniunt mere emollientia, antiphlogistica, detergentia blanda, ut Althæa, Flores Verbasci, mel, oxymel, serum lactis &c.

Non solum conditionem ulceris, sed etiam causam, ex qua originem duxit, considerandam esse arbitror. Multum enim potest sæpe cognitio causæ originariæ lucis obscuris rebus affundere; sic si scias in homine scabioso cæterum sano brevi natam esse Phthisim, postquam imprudenter & intempestive plumbata externe adhibebantur, conjicere poteris, materiem illam, quæ superficiem corporis antea occupabat, nunc alias sumpsisse vias, nunc pulmonem petiisse, ibique Phthisim scabiosam excitasse. In hoc casu, puto, dabis talia, quæ alias haud dedisses, dabis flores sulphuris, decoctum bardanæ, herbæ fumariæ, decocta lignorum &c. scilicet uno oculo intueberis ulcus pulmonum, nec exhibebis, quæ ulceri ut ul-

ceri

ceri nocere poterunt; altero tamen materiem peccantem considerabis, illamque domandam aut expellendam curabis.

Quod de Phthisi a scabie intempestive retropressa orta dixi, hoc pariter de Phthisi ab ulcere venereo in pulmone nato tenendum est, scilicet in tali Phthiseos specie curam adhibebis antiveneream, quamvis hæc in alia Phthiseos specie plurimum noceret.

Ex his, quorum adhuc plura exempla adduci possent, sufficienter patet, sæpenumero multum referre, ut originariam Phthiseos causam consideremus.

Quæ de Phthisi pulmonali diximus, eadem fere de reliquarum viscerum Phthisi dici possunt, si illa excipias, quæ diversitatem faciunt ratione situs & naturæ visceris, sic sæpe periculosior est Phthisis hepatica, quam pulmonalis, cum pus non æque bene evacuari possit, ac in pulmone per tussim fit, nisi forte per ductum hepaticum in intestina viam inveniat. Contrarium obtinet in renibus, ex quibus quotidie pus depluere potest in pelvim renum, exinde per ureteres in vesicam urinariam, ex qua una cum urina evacuatur.

Ulcera externa raro Phthisim inducunt, nisi valde magna sint, & magna fiat jactura humorum quotidie in pus conversorum, v. g. post exstirpationem mammæ, artuum, post amputationes &c. Minus tamen a pure resorpto fit emaciatio, cum sat facile depurari ulcus possit.

Remedia requiruntur, quæ ulcus roborare, ac ſuppurationem nimiam cohibere valeant, atque etiam ſanguinem a corruptione præſervare. Laudatur cortex peruvianus, uti etiam radix arnicæ in pulvere ad drachmam dimidiam omni bihorio data. Hæc ſæpe profuit, ubi cortex peruvianus non ſuffecit.

Phthiſis tuberculoſa.

Accidit quandoque, ut vel ex ipſa corporis conſtitutione, vel ex aliis cauſis in pulmone quædam loca obſtruantur, ſicque naſcantur tubercula, quæ ſæpe diu feruntur absque eo, quod multum noceant, niſi forte ad motus corporis reſpirationem reddant difficiliorem, aut tuſſim ſiccam inducant. At ſi tubercula hæc majori humorum impetu offendantur, vel expectorantibus, reſolventibusque draſticis exagitentur, vel febre undecunque accedente exacerbentur, non æque tuto adſunt, ſed incipiunt inflammari, quum inflammationi concipiendæ peridonea ſint, & tandem abeunt in ſuppurationem, in vomicam unam, vel plures, prout unum vel plura tubercula inflammantur. Talis vomica ſæpe feliciter rumpitur, & pus per vaſa aërea pulmonum evacuatur, ulcus etiam ſæpe facile curatur, ſed occaſione nova data novum denuo inflammatur tuberculum, nova fit ſuppuratio, nova vomica, qua rupta, novum ulcus. Hoc tam ſæpe accidit, quam ſæpe occaſio datur, & quamdiu tuberculum adeſt in pulmone, ita, ut hanc Phthiſeos ſpeciem ſæpe per multos annos ferant, antequam moriantur.

Cura

Cura consistit in remediis blande solventibus absque stimulo, qualia sunt Scorzonera, Sonchus, Taraxacum, Cichoreum, Gramen, Cicuta &c. Si stadium inflammationis aut suppurationis jam sint ingressa tubercula, horum curam intelligis ex illis, quæ superius de Phthisi purulenta dixi.

Tabes nutricum.

Tabes nutricum oritur a nimia deperditione lactis, vel parciori quidem, attamen in talibus subjectis, quæ vel mediocrem lactis jacturam non ferunt. Notandum tamen est, morbum hunc paulo esse rariorem, quamvis nomen ejus frequentissime audiatur; plerumque enim nobiliores feminæ proles proprias non lactant & infimæ sortis fœminæ hunc morbum alioquin raro experiuntur. Hic metus tabis medicos permovere non debet, ut nimis sint indulgentes, & matres a lactatione dispensent; etenim, quæ in utero per novem menses gestare potest, ea etiam lactare poterit, saltem per aliquot menses vel septimanas.

Nihilominus sunt tamen fœminæ, quæ vel ob teneram ætatem, vel delicatam corporis structuram, vel morbosam constitutionem hanc lactis jacturam aut plane non, aut saltem non diu ferunt, quin incipiant symptomatibus tabem nutricum annunciantibus laborare. Talem fœminam non solum a lactationis officio dispenses, sed etiam statim curam adhibebis, quam deinde indicabo, postquam hæc symptomata enumeravero, quæ fere sequentia sunt: tussicula sicca, crebra, respiratio angusta, sensus veluti constricti thoracis, do-

lores quasi rheumatici inter scapulas & ad nucham tractivi, calores fugitivi, maxime vespertini, febricula, nocturnæ sudatiunculæ, leipothymiæ, præcipue ventriculo vacuo, aut post lactationem, vertigo, visus læsus, obscuratus, nubilosus, symptomatum hystericorum caterva, tandem febricula augetur, fit emaciatio, debilitas, & tussi producuntur sputa puriformia, purulenta, & tandem etiam sanguinolenta, sicque vera Phthisis purulenta nascitur.

Ex consideratione horum symptomatum tussiculæ siccæ, sensus constricti thoracis, febriculæ &c., & ex effectu inde observato, nempe sputis purulentis prodeuntibus videtur adesse in initio inflammatio, aut subinflammatio pulmonum, adeoque curam secundum hæc symptomata esse dirigendam.

Quare conveniunt oriente tabe nutricum mere emollientia, humectantia, parum nutrientia; postea dum sputa jam purulenta prodeunt, cura illa debet adhiberi, quam superius de Phthisi purulenta indicavi.

Quare in initio hujus tabis laudanda sunt emulsiones nitrosæ, juscula tenuia, quibus plantæ recentes, succulentæ, solventes, nutrientes incoquuntur, uti Scorzonera, hordeum, avena &c; serius decoctum corticis peruviani cum lacte, decoctum lichenis islandici cum cacao paratum &c. Sed si neque suspicio subinflammationis adsit, neque sputa purulenta prodeant, sed solum adsit debilitas, emaciatio, nutrientia cum ablactatione apprime indicantur, qualia sunt lacticinia, juscula testudi-

ſtudinum, cancrorum, limacum, ranarum, pullorum, viperarum &c. His tamen etiam ſæpe decoctum Corticis peruvianii jungi debet.

Sunt & aliæ Phthiſeos ſpecies, quæ ob analogiam cum tabe nutricum huc reduci debent, ſcilicet Phthiſes, quæ oriuntur ab evacuatione nimia humorum quorumcunque: ſic eſt tabes a nimia ſpirituum deperditione, quæ multis modis contingit, vigiliis, vel ſtudiis improbe cultis, curis nimiis diurnis nocturnisque, quæ adeo hominem poſſunt conſumere, ut intra paucos dies aut ſeptimanas faciem ſuam pristinam penitus exuat. Sic quoque tabes ſeu atrophia, quæ oritur a jactura ſalivæ, ſi videlicet ſaliva nimia & frequenti ſputatione rejiciatur. Solent ii, qui fumum nicotianæ per fiſtulam attrahunt, ſolent ii itidem, qui frequentes ſalivationes paſſi ſunt, & vias ſalivales patulas retinent, habere continuum ſalivæ affluxum, quem tabes ſequitur.

Huc itidem reduci poteſt tabes a nimia ſputorum rejectione. Non loquor hic de ſputis purulentis, ſed de quibuscunque aliis quantitate peccantibus. Ea enim nimia ſputorum excretio atrophiam inducit eo ſolum ex capite, quod nimia ſit. Huc quoque reducitur, quæ oritur a frequenti vomitu, quæcunque demum vomitus cauſa ſit. Novimus illos, qui ſcirrhoſo ventriculo laborant, qui cartilaginoſum pylorum eumque anguſtiſſimum habent, experiri vomitum chronicum aſſumptorum. Moriuntur hi ex tabe, cum vomitus hic chronicus aſſumptorum eosdem ad extremam humorum penuriam deducendo mortem adferat.

Tabes

Tabes itidem a diarrhæa chronicâ, a lienteria diutius perſiſtente reduci ad tabem nutricum poteſt, & inde explicari tabes ſuperveniens hæmorrhagiis frequentioribus & nimiis.

Omnes hæ tabium ſpecies curantur imminuendo & tandem tollendo nimiam humorum deperditionem, ſimulque nutriendo corpus, & roborando pro diverſa ratione diverſo modo.

Tabes Dorſalis.

Singularem adhuc locum inter tabes ortas ab evacuationibus meretur *Tabes* dicta Hippocrati *Dorſalis*, tabes, quæ oritur ab evacuatione nobiliſſimi ſpirituoſiſſimique humoris ſeminis nempe maſculini. Evacuatio hæc, ſi nimia fuerit, non ſolum tabem dorſalem, marcorem muſculorum dorſi & lumborum, debilitatem, ſenſum formicationis per dorſum, dolores lumborum, ſed etiam multa alia mala producit: maciem totius corporis, maciem cum voracitate & fame nonnunquam canina conjunctam, tuſſim & tandem Phthiſim purulentam. Maxime conqueruntur vim ventriculi inſigniter læſam, quamvis ſint, quibus ventriculus adeo non læditur, ut videatur etiam majori vi donari, plerique tamen apepſiam, bradipepſiam habent; conqueruntur dolores membranarum cerebri, calores, vertigines aſſiduas, ſenſuum maxime viſus hebetudinem, memoriam vacillantem & in genere nil eſt, quod adeo facultates mentis labefactare poſſit, quam nimia ſeminis evacuatio. Hinc videmus juvenes præſtantiſſimos optimæ ſpei & utiliſſima aliquando reipublicæ membra, ſi huic vitio

tio se dederint, ita destrui, ut in fatuos stupidosque viros degenerent, prout illi, qui majorem seminis œconomiam gerunt, robur corporis servant, animique. Etiam morbi nervorum huic causæ suam debent originem ita, ut in morbis nervorum abstrusioribus, qui juvenes maresque afficiunt, fere semper inter alias causas de hac cogitandum sit; inde morbi hypochondriaci, tetanus, catalepsis, epilepsia, paucis omnes morbi convulsivi visi sunt.

Tabes hæc dorsalis, & reliqui morbi ab evacuatione seminis nimia orti curantur sedula abstinentia a venere, diæta nutriente, reficiente, non stimulante, & dein roborantibus, præprimis cortice peruviano, aqua spadana &c.

Tabes Scrophulosa.

Accidit sæpe, ut glandulæ variarum corporis partium indurentur & scrophulosæ fiant, quod quidem a diversis causis dependere potest, nihilominus sunt tamen, qui virus hoc scrophulosum specificum esse volunt. Solent glandulæ colli, bronchiales, mesenterii præ omnibus aliis aliarum partium glandulis sæpius indurari. Omnis tamen induratio quarumcunque glandularum debet in triplici statu considerari; primo in statu duritiei seu indolentiæ; secundo in statu inflammatorio; tertio in statu suppurationis.

Glandulæ in primo statu constitutæ, indolentes nempe & induratæ atrophiam sæpe inducunt non febrilem, morbum pueris voracibus perfrequentem, rusticis pauperioribus, victu crudo & fari-

farinaceo utentibus. Quodſi in ejusmodi corpore glandulis ſcirrhoſis obſeſſo febris ex quacunque cauſa oritur, glandulæ hæ hucusque indolentes & induratæ inflammabuuntur a ſolo citatiori humorum motu, tranſibunt itaque ex ſtatu indolentiæ ſeu primo in ſtatum inflammatorium, & tandem, ni debita medela adhibeatur, in ſtatum ſuppurationis. Hac ratione fiet, ut Phthiſim inducant purulentam.

Videmus ergo, plures dari ſpecies Phthiſis ſcrophuloſæ, prout glandulæ fuerint aut indolentes & duræ, ut atrophiam inducant, aut vero ex ſtatu indolentiæ in ſtatum inflammationis, aut tandem ſuppurationis fuerint converſæ.

Phthiſis hæc ſcrophuloſa oritur a variis cauſis, ſic poſt febres intermittentes non qualescunque ſed longas; poſt febres quartanas neglectas, aut intempeſtivo corticis peruviani uſu ſuppreſſas; poſt easdem adſtringentibus curatas; alumine, arſenico ſuppreſſas; item poſt febres etiam alias curatas absque præmiſſis evacuationibus, aut iisdem non iteratis; poſt febres intermittentes cortice dato legitime quidem ſanatas, at cortice non copioſius dato, non diutius, ut par erat, producto; cortice non juncto aliis remediis coindicatis. Eadem ſcrophuloſa Phthiſis oritur poſt febres æſtivales, poſt autumnales, univerſim poſt febres bilioſas, ſi curentur neglecta emetocatharſi indicata. Contingit etiam, ut febres autumnales & æſtivales ſolis venæ ſectionibus curatæ topicas inducant pulmonum affectiones & ſcrophuloſam diatheſin & Phthiſin. Porro oritur Phthiſis ſcrophuloſa poſt diarrhæas bilioſas, putridas, & dyſenterias opio

intem-

intempestive cohibitas; post cruditates narcoticis inclusas; post rheumatismos gastricos non bene sanatos, sed tentatos sudoriferis & venæ sectionibus intempestivis. Novimus enim quandam classem rheumatum oriundam a fluctuante in ventriculo bile, novimus rheumatismos hos curari emesi, purgantibus aut eccoproticis. Quodsi perversa medendi ratione morbum aggrediaris, contingit, ut materies altius pulmonibus impingatur oriaturque Phthisis scrophulosa. Observabantur pariter scrophulosæ Phthises post peripneumonias nothas, item etiam post pleuritites & peripneumonias veras, tandem post tusses stomachicas neglectas aut mucilaginosis, tepidis, & oleosis sanatas.

Cura varia est & facile desumenda ex cognito statu glandularum aut induratarum & indolentium, aut inflammatarum, aut etiam suppuratarum. Attamen gravem hoc loco observationem dicam obstructionem concernentem, scilicet in omni obstructione seu scirrhosa illa sit, seu scrophulosa, seu quæcunque alia, si aliqua pars corporis obstructa sit, si resolventibus tentetur, resolutionem hanc semper in initio mitissimis remediis tentari debere, dein paulo fortioribus, sed manu admodum suspensa, ne tam cito & præpropere validioribus solventibus utamur & locum obstructum & indolentem convertamus in statum inflammatorium & suppuratorium. Adhibitis remediis fortioribus obstructus locus adeo non resolvitur, ut potius materies obstruens altius impingatur, & superstes sanitas penitus pessumdetur. Hoc modo contingit, ut, qui vivere loco obstructo diutius potuisset, ipsa medendi methodo fuerit e vivis sublatus.

Re-

Reſtant adhuc diverſæ tabis ſpecies, quæ tamen omnes ad dictas tabium ſpecies, revocari, aut ex morbis, quorum ſymptoma ſunt, facile cognoſci, & curari poſſunt: ſic eſt tabes in venereis, quæ oritur ab ipſo miaſmate corpus conſumente, vel ab ulcere venereo interne nato, vel a carie oſſis, vel ab ipſa inepta cura ſalivandi adhibita. Pariter tabes ſcorbutica eſſe poteſt vel ab ipſo morbo, vel ab ulcere interno ſcorbutico; tabes cancroſa a cancro exulcerato; tabes hydropica, ubi videlicet abdomen aquarum mole turget, crura vero aut artus ſuperiores, & hi quidem præ cruribus emaciantur. Huc referri debet tabes rachiticorum, quam Petrus Foreſtus tabem pectoream thoracicam vocavit. Novimus rachiticorum artus extabeſcere, muſculorum carnes flaceſcere, & ſpeciem tabis referre ita, ut non inepte fuerit hic morbus appellatus tabes pectorea ſeu tabes rachitica. Huc etiam referri debet tabes a vario veneno orta, tabes orta ab arſenico, a plumbatis, quæ tabes ſaturnina dicitur.

Omnis tabes, quæcunque ſpecies ſit, ad formandam bonam morbi prognoſin apte dividitur in incipientem & conſummatam. Phthiſis incipiens, Phthiſis conſummata frequentia apud authores vocabula ſunt: etenim hæc diviſio nil prorſus confert ad diagnoſin, ſed id facit, ut ſcias, quid timere debeas, quid poſſis ſperare. Nam ſi eſt Phthiſis ſolum incipiens, multum boni poteris ſperare; ſi conſummata, timere omnia. Proinde omnium maxime eſt neceſſarium ſymptomata Phthiſis conſummatæ bene memoria retinere, ne forte ſanitatem promittamus, dum mors inſtat; ne fors ægrum, aut adſtantes, aut nos metipſos, aut utros-

utrosque decipiamus. Hæc ferme ſymptomata ſunt Phthiſis conſummatæ: difficilis anhelitus levi motu excitato, facilis aut facilior in ſumma quiete, extenuatio muſculorum præcipue femoris & brachiorum, languor, pulſus parvi, præcipue & celeres & facile evaneſcentes oppreſſo paulo fortius digito, impedita deglutitio, vox pertinaciter rauca, puſtulæ, præprimis circa collum, colliquatio per ſudores manifeſta, & per diarrhæam dictam colliquativam, febricula longa, ſi typum ſpectes, remittens tertianam, aut potius ſemitertianam referens, ſimplex, duplicata, errabunda, ſed præcipue exacerbata poſt partum, itemque veſperi. Hæc ferme ſunt ſymptomata febriculæ tabificæ, hi characteres. Appetitus quidem in plerisque tabificis adeſt, ſed a modico cibo aſſumpto gravantur, & febrilem patiuntur paroxiſmum. Diarrhæa, quam commemoravi, colliquans, abſumens, & diuturna, fugax calor, & genarum fugax rubor vel unius, vel utriusque, ardor in volis manuum ferme aſſiduus, ſignum certum latentis aſſiduo febriculæ. Animi plerumque in Phthiſicis, ſi non alacritas adſit, ſaltem quædam peculiaris æquanimitas, quædam patientia morbi, & tolerantia facilis, & ſpes utut vana, attamen certa quaſi ex opinione ægri de ſalute recuperanda. Mirum eſt, quam ſatis certo ſibi promittant ſanitatem, utut rebus quotidie in pejora ruentibus, ut a morte non multum remoti, ſemper ſibi certam ſanitatem promittant. Hæc diatheſis ſibi ſemper bona augurantis pertinet fere ad characteres individuos & eſſentiales conſummatæ Phthiſis. Mirum certe eſt & creatoris, & naturæ beneficium, propinquum in morbo certe lethali, in miſerrimo alias valetudinis ſtatu eos dulci ſpe reconvaleſcentiæ lactari; mors vero ſequi-

tur integerrimis plerumque sensibus, mors plerumque inopina inter surgendum, dum alvum ponunt, dum sese in alterutrum latus convertunt, dum bibunt, dum loquuntur.

Adductis symptomatibus, quæ Phthisim consummatam declarant, superest, ut etiam sciamus, quid de Phthisi nondum consummata judicandum sit, an aliquid spei affulgeat, vel plus metus immineat. Hinc debeo adhuc quosdam canones adducere, quibus in formanda prognosi dirigamur.

1. Phthisis purulenta a fomite purulento interno eoque majori lethalis est, si exitus antea puri liber conciliari nequeat. Hinc Vomicæ pulmonum majores (alia enim est ratio circa vomicas pulmonum minores) tarde disruptæ, aut etiam cito disruptæ, attamen habentes orificium perangustum, modicum itentidem puris profundentes certo mortem inferunt.

2. Phthisis hepatica purulenta funesta est.

3. Renum Phthisis purulenta subinde in initio curatur, si modo pus probe cum urina evacuetur; secus vero diu quidem fertur, donec integer ren in saccum purulentum fuerit conversus.

4. Collectio puris in cavo abdominis seu hydrops purulenta plerumque mortem adfert. Nam graves supponit viscerum abdominalium ulcerationes; & si etiam aliunde in abdomen delatum sit, nisi cito emittatur, enteritidem infert & viscerum abdominalium inflammationes per se plerumque lethales.

5. Pus

5. Pus intra musculos abdominales collectum, cito emissum in corpore cæteroquin bono aliquoties ægrum servavit.

6. Abscessus intestinorum, indeque oriri incipiens Phthisis post longam dysenteriam, ni is abscessus profundus sit, ni late serpat, & si adsit juvenilis ætas, subinde utut raro curatur. Memorat Cl. Tralles abscessum intestini in se ipso post curatam dysenteriam sanatum.

7. Phthisis purulenta ex nimia suppuratione post amputationem e. g. artus cujusdam majoris, vel ex abscessu quodam externo aperto, & nimiam puris quantitatem fundente, ejusmodi inquam Phthises sæpenumero curantur.

8. Phthises nutricum, præcipue si nondum purulenta sputent, sæpe sanantur.

9. Tabes dorsalis rarius occidit, sed ægrum vitæ miserrimæ tradit, ipsa morte miseriori, sensuum internorum & externorum debilitati, hypochondriis & omnibus hujus morbi furiis.

10. Tabes scrophulosorum rarissime curatur. Schrophulæ quidem curantur subinde, at orta inde extabescentia perquam raro.

11. Phthisis hydropicorum est lethalis.

12. Phthisis pectorea, seu rachitica initians, atque etiam aliquantum progressa sæpissime vitæ parcit, sed superstites inde ægri emaciati sunt & plerumque distorti.

Absolutis his, quæ tam ad cognitionem Phthisis consummatæ, quam etiam ad prognosin Phthisis nondum consummatæ pertinent, pervenimus ad medendi methodum, quæ in tam diversis Phthisis speciebus, variisque eandem stipantibus conditionibus non raro oppositis una eademque, id est, specifica esse non potest; proinde pro diversitate rei alia atque alia selegi debet medendi ratio, de qua quidem hinc inde sparsim jam egi, attamen ut illa, quæ hinc inde apte dicere non potui, non intermittam, & ut omnes curationum modos in unum quasi fasciculum colligam, breviter adhuc de his agendum statui.

Omnes fere Phthisim curandi methodi ad sex revocari possunt, quarum 1. methodus nutriens, 2. roborans, 3. methodus balsamica & detergens, 4. resolvens, 5. methodus antiphlogistica, 6. methodus, mirum dictu attamen certum! methodus evacuans per emesin. De his singulis agam.

1. *Methodus Nutriens.*

Hæc methodus consistit in eo, ut exhibeamus talia ægro, quæ facile a ventriculo digeri, & in bonum chylum ac sanguinem mutari possunt, quo partes corporis depertitæ restituantur. Talia tam regnum vegetabile, quam animale præbet, præcipua tamen sunt: lac ejusque serum, lac humanum potius utpote magis analogum corpori nostro; dein asininum, caprinum, vaccinum ordine solent adhiberi; ova vi nutriente jam laudavit Hippocrates, dum ait: *Volucrum ova validum quid & nutriens & inflans habent;* carnes teneriores vitulorum, pullorum, ranarum, viperarum horumque

que juſcula; pariter juſcula cancrorum, limacum, teſtudinum; hordeum, avena, oryza, indeque parati cremores, gelatinæ, panis biscoctus &c.

Videndum jam eſt, quando prima hæc methodus, quæ nutrientia exhibet, conveniat, & quando contraindicetur. Convenit in omni tabis ſpecie, quæ oritur a nimia humorum quorumcunque deperditione, in tabe adeoque nutricum, in tabe orta ab hæmorrhagiis magnis & frequentioribus, in tabe dorſali &c.

Non convenit methodus hæc valde nutriens, in tabe purulenta, niſi lac dilutum, aut potius ſerum, vel lac ebutyratum; juſcula vero carnis, aut carnes ipſæ mirum quantum ſolent febrem purulentam exacerbare; pariter in nulla tabis ſpecie conveniunt gelatinæ paratæ ex glutinoſis vitulorum pedibus, eorumque capitibus; gravant enim ventriculum & ſic ſæpe plus detrimenti quam emolumenti adferunt.

2. *Methodus Roborans.*

Methodus hæc, quæ roborantibus utitur, multa continet, atque inprimis corticem peruvianum a multo jam tempore laudatum tanquam egregium antiphthiſicum, dein exercitationes, equitationes, vectiones in carpento & navigationes, quibus ſolemnes Phthiſeos curationes adſcribunt; porro complectitur hæc methodus uſum balneorum frigidorum, natationem in fluviis, aqua frigida; item aërem campeſtrem, fumos aromaticos, commorationem in ſylvis, inter pineta, tandem balneum terræ, balneum fimi, vinum, elixirium vi-

trioli, salviam, aquas martiales, lichenem islandicum, polygalam, corticem salicis albæ atque alia. De his remediis pauca quædam dicam.

Quæritur hic inprimis, an cortex peruvianus in internis suppurationibus conveniat, ubi exitus puri nullus datur? Affero rarissime convenire, juvare nunquam, etsi conveniat; convenire rarissime forte sub extrema morbi tempora, ubi machinam labentem per aliquot dies, aut forte septimanas datus cortex sustinebit. Magis prodest in largissimis suppurationibus externis. Quodsi vero ob diarrhæam colliquativam cortex peruvianus cito per alvum e corpore eliminaretur, prodest is cortex junctus arnicæ radici, aut etiam sola radix arnicæ.

Ad methodum roborantem pertinent exercitationes, equitatio, vectio in carpento, & navigationes. In purulenta Phthisi seu suppuratione interna equitatio nunquam prodest, sed semper nocet, indubitata observata adsunt, & experimenta certa, quæ id evincunt. At eadem equitatio juvat in Phthisi nullo præsente fomite purulento, in Phthisi aut potius emaciatione post graves & longas febres, post evacuationes largas sanguinis, seminis, spirituum animalium, in Phthisi universim spuria a languente ventriculo orta, aut ab imminuto tono totius corporis, in Phthisi potius scrophulosa, sed scrophulis nondum exulceratis, nec etiam inflammatis. Idem de motu in carpento, & de navigatione dicendum est, id solum addi debet, equitationem, si etiam conveniat, non esse statim primo tempore in usum trahendam, sed motus in initio minus valentes esse præmittendos, uti sunt navigatio, aut si navigandi locus esse non pos-

sit

sit ob occasionis defectum, motus in curru, tandem ad valentem hunc motum equitationis esse ascendendum sensim sine sensu.

Balnea frigida multis modis laudantur in Phthisi scopo roborante. Utilior forte natationis usus erit, quam solius balnei frigidi usus. Certe quietum quem sedere & immobilem in frigidissima aqua æque parum proderit ac sedere in aëre frigido. Prout ergo debilioribus convenit deambulatio in aëre frigidiusculo, recenti, libero, sic etiam ambulatio aut natatio in aqua frigida conveniet.

Aër campestris in omni Phthisi prodest, maxime vero in illa, quæ a nimia sanguinis aut alterius cujuscunque humoris deperditione oritur. Aër hic campestris, aut conversatio inter abietes & pineta una cum corporis exercitatione debiles vires excitabit, & objecta ruris mentem a nimiis studiis, a mœrore avocabunt. Huc etiam peregrinatio ad exteros, itinera ad thermas suscepta pertinent, quæ sæpe in Phthisi plus præstant, quam thermæ ipsæ, quam remedia alia; etenim aëre mutato, & corporis exercitatione, atque objectorum novitate aptam corpori, atque animo medicinam paramus.

Fumus aromaticus. Commoratio in cubiculis fumo aromatico lustratis; ipsius fumi aromatici ope machinæ aut infundibuli admissio in pulmones Phthisicis profuit ex laxo pulmonum ulcere ægrotantibus; cavendum solum est, ne fumorum aromaticorum intra pulmones susceptio tussim excitet laxis, ulcerosis, sanguinem fundentibus pulmonibus infestam.

Balneum terræ adhibent, qui ægros ſcrobibus aut foſſis committunt, ut ſic vapore terræ reficiantur. Sed converſatio ruralis gratior eſt & utilior hoc terræ balneo.

Balneum fimi, dum Phthiſici ſtabulis includebantur fimo pecorum quaſi immerſi. Spurcum hoc remedium ſana ratio refutat.

Vinum etiam tanquam antiphthiſicum laudatur; vinum ſcilicet auſterum, oleoſum, in tabe ſenum, & in illa tabe, quæ oritur a nimia evacuatione, & debilitate.

Salvia. Narrabat illuſtriſſimus noſter Præſes L. B. de Störck ſe quondam Phthiſicum curaſſe ſolo ſalviæ infuſo, ubi nec lac, nec aliud proderat. Forte inducta fuit hæc tabes a nimia evacuatione materiæ perſpirabilis.

Elixirium vitrioli adeo commendatum Phthiſim ſolum a læſa ventriculi functione oriundam ſanaſſe videtur; purulentam Phthiſim exacerbat certe.

Reliqua roborantia, quæ adhuc adduxi, per ſe facile intelliguntur, in qua Phthiſeos ſpecie ſint adhibenda.

3. *Methodus Balſamica & Detergens.*

Hæc methodus in eo conſiſtit, ut ægro aut balſama nativa, peruvianum, balſamum de copaiva propinemus, aut loco balſamorum herbas, cortices, & ligna balſamica. Hæc methodus quoque in uſum trahit aquam picis.

Prodeſt

Prodeſt hæc methodus in tabe incipiente ab acri ſcabioſo, ab acri herpetico, humorum maſſam coinquinante; in omni acri, quod ad vias urinarias adhucdum poſſit ablegari. Hinc in ſcabie, in ichoribus retropulſis, in tinea quodam unguento intempeſtive adhibito, retropreſſa, & inde orta Phthiſi indicatur; nocet autem in tabe orta a fomite purulento, a vomicis clauſis.

4. *Methodus Reſolvens.*

Hæc methodus reſolventibus utitur uti ſaponibus vegetabilibus & nativis, aut, artefactis; huc pertinet methodus illa, quæ gummiferulacea Phthiſicis præſcribit, itemque ſuccos recentes taraxaci, cerefolii, beccabungæ, quæ præſcribit aquas medicatas leviter ſalitas, præcipue ſelteranas cum & ſine lacte. Methodus hæc reſolvens utitur pariter aqua marina ad libram unam quotidie exbibenda, utitur tenui infuſo rhei, decocto cichorei, taraxaci, graminis.

Prodeſt hæc methodus in Phthiſi ſcrophuloſa glandularum, in Phthiſi poſt febres intermittentes, poſt tuſſes ſtomachicas neglectas, univerſim in Phthiſi orta ab infarctu viſcerum abdominalium, & ipſius pulmonis pituitoſo.

5. *Methodus Antiphlogiſtica.*

Hæc methodus ſolum convenit in Phthiſi inflammatoria, dum ſcilicet una particula pulmonum

post alteram ob inflammatoriam indolem in suppurationem abit. Hinc, quo magis imminuas inflammationem, eo minor fiet suppuratio, & si hanc penitus tollere posses, tolleres quoque & suppurationem & Phthisim, cum locus ulcerosus sponte consolidaretur. Hæc Phthisis inflammatoria plerumque solet sequi hæmoptoën illam inflammatoriam, quam contingere videmus in hominibus teneris, junceo & arundineo quasi corpore donatis, collo gracili, scapulis depressis, genis roseis, ingenio præcoci, & subtili, fibra donatis delicatula & summe irritabili.

Consistit hæc methodus in V. S. parvis frequenter institutis ita tamen, ut caveas, ne vires vitæ nimis prosternas; remedia emollientia, antiphlogistica solum dabis, uti althæam, flores verbasci, ferum lactis, lac ebutyratum &c.

6. *Methodus evacuans per Emesin.*

Certa exstant, & præcipue Cl. Mortoni in tractatu de Phthisi observata remediorum evacuantium, sed præcipue emeticorum binorum in Phthisi proficuorum, sed æque certum est, emetica hæc, utut leniora sæpe nocere debere, esse ergo peculiarem quandam Phthisis speciem, ubi emetica indicantur. Indicantur autem in illa Phthiseos specie, quæ oritur a vitio ventriculi post febres intermittentes longas, suffocatas cortice peruviano, aut aliis adstringentibus remediis, in Phthisi orta a saburra biliosa, pituitosaque neglecta, traductaque ad secundas vias, & ad pulmones recumbente; in Phthisi orta post tussim stomachicam, verminosam,

item

item post febres quasdam æstivas pulmones peculiariter petentes.

Supereſt adhuc, ut quædam dicam, qua ratione ſymptomatibus quibusdam in Phthiſicis obvenientibus ſit ſuccurrendum. Symptomata vero hæc præcipua ſunt: Tuſſis moleſta admodum & noctes inquietæ, ſudor colliquativus, diarrhæa colliquativa.

Tuſſim mitigamus omittendo illa, quæ hanc excitare valent, ſic accida, mel, oxymel ſæpe fauces irritando tuſſim faciunt. Hæc igitur tum omittere oportet, & loco horum danda ſunt mucilaginoſa, linctus confecti ex oleo amygdalarum recenter preſſo, vitello ovorum & ſyrupo diacodii &c. quandoque etiam oportet dare opiata, aut opium ipſum ad veſperam, ut ſomnum capiant & noctes quietas tranſigant.

Sudori colliquativo occurrimus infuſo ſalviæ, decocto corticis peruviani, pariter & diarrhææ colliquativæ cortice peruviano mederi conamur, at ſæpe minus efficax eſt, hinc ſimul infundimus radicem arnicæ, quæ alvum ſolet magis cohibere; danda quoque ſunt parva enemata ex bolo armena, ex terebinthina, theriaca andromachi, opio, lacte.

V.

V.

JOANN. GEORG. PLENKER,

STIRI - LEUTSCHACHENSIS

DISSERTATIO

DE

METEORISMO.

§. I.

Meteorismus a græca voce μετεωρος, quod latinis *sublimis* dicitur, derivatur. Definitur in genere, quod fit intumescentia præternaturalis flatulenta, vel totius abdominis, vel partis tantum.

§. II.

Diagnosis hujus morbi ex ipsa definitione petitur; notari tamen meretur, quod rarius universum

ſum tumeat abdomen, plerumque epigaſtrica regio elata deprehenditur, & quidem ita, ut cavitas a ſterno ad umbilicum, quæ in ſanis conſtanter obſervatur, abolita plane ſit, nonnunquam hypochondria tument, aut umbilicalis regio, rarius lumbi, hypogaſtrium, pubes.

§. III.

Sunt, qui hunc morbum cum tympanitide, ſunt, qui cum colica flatulenta confundunt; ſed ab hiſce affectionibus morboſis meteoriſmum diſtinguere haud arduum erit, præcipue ſi quis ad ea, quæ unicuique horum morborum propria ſunt, attendere velit: ſic a tympanitide diſtinguitur non intumeſcentia ſolum minori, minusque æquali, ſed ex eo etiam, quod tympanites per ſe morbus chronicus, meteoriſmus vero pro maxima parte morbus acutus, aut ſaltem ſymptoma morbi acuti ſit. A colica flatulenta diſcriminatur, quod in hac abdomen nunquam tumeat, licet manu exploratum ratione doloris & tenſionis tumere videatur, quod optime notavit Cl. Sauvages a). Dein colicam flatulentam ſub ipſo paroxiſmo graviſſimus dolor comitatur, qui tamen in meteoriſmo, vel prorſus exulat, aut perexiguus eſt, aut ſaltem non adeō gravis obſervatur.

§. IV.

a) Noſolog. method. T. II. p. 519.

§. IV.

Meteorismi causa materialis in ipsa materia elastica ventriculum, intestinave oberrante est quærenda: causam vero efficientem constituunt spasmi quicunque ventriculum, vel intestina occupantes, sive dein ab acrimonia ingesta, sive in primis viis generata, sive ex secundis ad primas delata, sive ab animi pathemate fuerint producti. In illis vero meteorismi speciebus, ubi morbi sedes in abdominis cavo hæret, causa morbi erit sola materies elastica viscerum degeneratione exclusa, calore corporis magis rarefacta. Causæ remotæ ad binas classes reduci possunt, ad quarum primam referuntur omnia ea, quæ ventriculum & intestina debilitare, succosque digestioni famulantes inefficaces, vappidosque reddere valent; uti sunt v. g. potus copiosi, emollientes, tepidi, theeati: febres partim continuæ, partim intermittentes diuturnæ, graves, male curatæ, aut prorsus neglectæ: vigiliæ nimiæ a studiis improbe cultis, aut compotationibus protractis; venus præmature exercitata, aut abominabili onaniæ vitio contaminata &c. Ad alteram classem pertinent ingesta quæcunque, & quocunque etiam titulo ingesta sive alimenti, sive medicamenti, sive veneni, quæ flatulenta, viscosa, farinacea, caseosa sunt: huc quoque referri debent omnes ferme species olerum, leguminum, fructuumque horæorum: potus omnes fermentescibiles, aut actu fermentescentes, aut in ipso fermentationis actu suppressi &c. Veteres jam medici monuerunt, omnia similia in cibis, potibusque sumpta flatulentam producere materiem soli fideli observatione edocti, quin causam perspexerint: sic

Cel-

Celsus a) enumerans ea, quæ inflant: „ *Omnia* „ *fere legumina, pinguia, prædulcia, jurulenta,* „ *mustum, atque etiam id vinum, cui nihil ad-* „ *huc ætatis accessit: ex oleribus allium, cæ-* „ *pam, brassicam &c. quidquid subcrudum ali-* „ *quis assumpsit,* recenset. „

§. V.

Sedes hujus morbi plerumque ventriculus intestinave sunt, rarius ipsum abdominis cavum. Adferam hic quædam signa, quibus meteorismus intestinalis ab abdominali internoscatur, quum hanc differentiam nosse ad bonam prognosim efformandam multum interfit. Si post causas prægressas ventriculum & intestina debilitantes ab ingestis flatulentis, aut alia quacunque saburra ex secundis viis ad primas delata infletur abdomen, frequentes adsint borborygmi, alvus tarda admodum, merito suspicatur meteorismus intestinalis. Si vero hæc signa abfuerint, & tumeat subito abdomen præcipue in morbis acutis, tam inflammatoriis, quam putridis cum affectione quadam viscerum abdominalium, si hisce præsentibus meteorismus superveniat, merito concludere licebit, esse abdominalem illum, pessimumque, & brevi ex visceris gangræna subsecuturæ mortis signum.

§. VI.

a) Lib. II. cap. 26. p. 104.

§. VI.

Expoſitis nunc breviter cauſis, ſedeque aſſignata, tranſeamus ad ipſum modum explanandum, quo meteoriſmus produci ſoleat. Omnis meteoriſmus a quacunque cauſa productus præſupponit materiem elaſticam; hæc in omni meteoriſmi ſpecie nunquam non præſens eſt. Rem ita ſe habere in meteoriſmo inteſtinali nemo dubitabit, qui conſideraverit copioſum illum aërem, qui manducationis negotio ope ſalivæ, mucique oris bolo deglutiendo intricatur, quod ex phyſiologicis a) ſufficienter patet: præterea, ſi conſideraverit ſtupendam illam non raro aëris fixati quantitatem, cujus in omni genere ciborum potuumque præſentiam, quam plurimis experimentis demonſtravit Boyleus b) proprius comprobavit immortalis Bœrhaave c); denique, ſi conſideraverit ventriculum extra tempora digeſtionis vacuum per orificium ſuperius in ſtatu naturali non perfecte clauſum, cum œſophago, hunc cum faucibus, hæ vero ope cavi narium, aut oris cum aëre admoſphærico quodammodo communicare, & inde aërem hunc atmoſphæricum lege communi gravitatis per haſce vias in ventriculum irruere, inde per conniventem pylori portam ad inteſtina transmigrare, donec inter preſſionem atmoſphæræ & reſiſtentiam harum partium perfectum obtineatur æquilibrium. In meteoriſmo vero abdominali materiem hanc elaſticam ſuppeditat

a) Cl. Marherri prælect. in Herm. Bœrh. inſtit. med. T. I. p. 214.

b) In experim. phyſ. mechan. T. I. p. 57.

c) Chem. elem. T. I. p. 507. & ſeq.

tat ipsa degeneratio viscerum putrida & gangræno sa, quod quotidiana & ubique obvia corporum putrescentium observatione confirmatur.

Ab omni calore aërem expandi docet physica: hinc etiam aër ille, quem paulo ante in ventriculo intestinisque perpetuo præsentem demonstravi, calore corporis humani expandetur, expansus fibras musculares horum viscerum irritabit, viscerá hæc, cum tota musculosa sint, validisque tunicis constent, resistent huic dilatationi, agentque contra contenta in cavo suo. Vi quadam peculiari a fabrica desumenda in statu naturali intestina nimiæ suæ dilatationi resistere, & ita quidem resistere, ut vix non solida, & teretia appareant, & discissa vix cavum habere videantur, comprobant vulnera abdominis, dein incisiones vivorum animalium in huncce finem factæ, item mirus ille casus ab Helmontio a) notatus pueri cujusdam monstrosa hernia umbilicali laborantis ad sesquipalmæ extensionem, sub tenui & pellucida pellicula spectari poterant intestina, & miser ille puer, quotiescunque torminibus afficiebatur, spectandam ilei procellam Helmontio præbuit: „ *Adeo, ut intesti-*
„ *num istud, tanquam sibi obambulando ebulliis-*
„ *set, contorqueri & convelli videretur. Idque*
„ *maxime, quoties nova tormina infestarent.*
„ *Quæ cum sub doloribus sic se haberent, voluit*
„ *etiam supter sanitarem contemplari, qualis es-*
„ *set intestinorum œconomia. Atque tum obser-*
„ *va-*

a) In capitul. de flat. No. 38. p. 339. & 340. & de lithiasi cap. 9. No. 132. p. 784.

„ *vavit alium ſucceſſive plane motum, quo ſe in-*
„ *teſtina exercebant. Nam quoties aliquid ſu-*
„ *perne ad anum transmittebatur (erat autem in*
„ *conſiſtentia liquidioris ſyrupi & flavum) inte-*
„ *ſtinum ſuis ſeſe transverſis fibris contraxit,*
„ *tanquam penitus iſthac clauderetur, atque ex-*
„ *crementum infra ſe depelleret: fiebat enim hoc*
„ *ſucceſſiva fibrarum transverſarum contractura,*
„ *non ſecus atque fidicen digitum poſt digitum a-*
„ *perit, & priorem laxat.* „

Conſiderari jam poteſt aër hic calore corporis humani rarefactus nitens diſtendere ventriculum inteſtinave, & vis contractilis horum viſcerum, qua huic dilatationi reſiſtunt, tanquam binæ potentiæ ſibi invicem oppoſitæ. In ſanitate vis hæc contractilis ventriculi & inteſtinorum prævalet, hinc coercet nimiam hujus materiei elaſticæ expanſionem, hanc alterno, tam periſtaltico, quam antiperiſtaltico motu ingeſtis admiſcet, figit & diſponit, ut una cum chylo vaſis lacteis reſorbeatur: extra tempora vero chylificationis hæc materies ab humoribus vaporum ſub forma ex finibus arteriarum exhalantibus fixatur, patulisque orificiis venarum meſeraicarum, vaſorumque lacteorum abſorbetur. Si vero contingat, ut major copia hujus materiei elaſticæ in ventriculo & inteſtinis præſens ſit, quam quæ paulo ante dicta ratione fixari poſſit, hæc ſuperabundans copia naturali harum partium contractione ſurſum, deorſumque expelletur, & materiem ructus flatusque conſtituet. Hinc cum ventriculus cruda, indigeſtibilia, flatulenta, potusque fermenteſcentes toties excipiat, & nimis ſæpe repleatur, mirum non eſt, aërem copia peccantem,

aut

aut nimium rarefactum toties superius per œsophagum ori continuum cum impetu explodi.

Intestina crassa præterquam, quod ex iisdem fontibus ac tenuia aërem suum hauriant, gaudent tamen peculiari quodam fonte, quo tenuia carent. Physiologi a) commonstrant, residuam partem ingestorum omni ferme nutritici humore orbam una cum humoribus, tam chymo, quam chylopoëticis crassioribus, ad resorptionem ineptis, ad intestina crassa relegari, ibique partim mora, partim & propria & admixtorum indole quandam subire mutationem, quæ ad initia degenerationum corporum putrescibilium referri posset: durante hac mutatione aër copiosissimus extricatur, qui certe molestissime afficeret intestina hæc, nisi provida natura huic malo occurrisset, intestina tunicis firmioribus muniendo, triplicique ligamentorum robore firmando, quibus suffulta intestina hæc nimiæ suæ dilatationi resistant, & ab aëre hocce elastico irritata contra suum cavum agant, perque vicinam anum adversarium suum subterfugere cogant. Quanta vero vis intestinorum crassorum sit, inde luculenter colligi licebit, quod sæpe flatus crepitusque, quin imo & fæces in homine cæteroquin robustissimo omnibus etiam viribus renitente, tamen expellantur. Inde videtur etiam explicari posse, cur quandoque flatus post mortem per anum emigret, & abdomen ante monstrose tumens ex templo subsideat, cum jam evictum sit, vim hanc contractilem intestinorum aliquo adhuc post mortem

a) Vid. cel. Marherri prælect. in Herm. Bœrh. instit. med. T. I. p. 491.

tempore supermanere. Mirabatur olim Ballonius a), dum hoc viderat contigisse in socru sua, & in alia adhuc matrona: „*Quum utraque hydropi-*
„*ca foret, & aqualiculus valde distenderetur,*
„*partim aquis, partim flatu aliquo, postquam*
„*utraque exstincta est, ita resedit venter, ac si*
„*nusquam intumuisset.*„

Ponamus jam hanc contractilem ventriculi & intestinorum vim a quacunque causa debilitari, aër distendendo parietes irritabit etiam fibras musculares propiores non æque debilitatas, hæ sui officii admonitæ sese contrahent, cavumque stringent, si jam ventriculus intestinave pluribus in locis stringerentur, aut ex hac causa, aut, quod frequentius, ab acri quodam stimulo hic hospitante irritata, aut nervorum etiam quodam imperio, corpore jam pridem hysterico vel hypochondriaco vitio affecto, aër hisce carceribus inclusus elasticus, calore corporis adhucdum magis rarefactus, exitum moliens, expandet enormiter parietes ventriculi intestinorumque; atque sic exurget status ille præternaturalis abdominis, qui vulgo meteorismi nomine insignitur.

§. VII.

Cura hujus morbi juxta generalem indicationem est dirigenda, quæ requirit, ut vis illa, qua ventriculus intestinave dilatationi sui cavi resistunt, augeatur; dein, ut aëris in horum cavo contenti ela-

a) Epid. & ephemer. Lib. II. T. I. p. 176.

elaſticitas imminuatur. Ut autem hæc indicationum ſumma capita proſequamur exactius, juvabit meteoriſmum in quasdam reſolvere ſpecies maxime practicas; & quidem: 1) In meteoriſmum flatulentum; 2) Saburralem; 3) Inflammatorium; 4) Gangrænoſum; 5) In meteoriſmum a veſica urinaria mirum quantum lotio diſtenta.

§. VIII.

Prima meteoriſmi ſpecies, quem flatulentum nuncupavi, producitur a materia elaſtica perpetuo ventriculum & inteſtina oberrante, a calore magis magisque rarefacto, fibris muſcularibus a quacunque cauſa hinc inde ſpaſtice ſtrictis. Aërem materiem flatuum eſſe, jam ipſe monuerat Hippocrates a) dicens: „*Hominum enim, & aliorum* „ *animantium corpora triplici alimento nutriun-* „ *tur. Sunt autem illis alimentis hæc nomina:* „ *Cibi, potus, ſpiritus. Verum ſpiritus, qui* „ *in corpore ſunt, flatus vocantur, qui vero ex-* „ *tra corpus aër.* „ Incuſatur præterea laxitas ventriculi & inteſtinorum cum vappiditate ſuccotum digeſtioni famulantium: unde fit, ut hæ partes ſolito plus relaxatæ cedant nimium vi diſtendentis aëris.

a) De flat. cap. 2. Charter. T. VII. p. 214.

§. IX.

Diagnosis desumitur ex absentia signorum reliquis speciebus propriorum; dein ex notione subjectorum huic speciei obnoxiorum. Aggreditur vero præ cæteris laxos, debiles, frigidos, pituitosos, victu farinoso, pingui, terrestri utentes, sedentariam agentes vitam, fœminas hystericas, viros hypochondriacos, puellasque chloroticas.

§. X.

Meteorismus hic transitorius est, & sæpe flatibus ano & cato expulsis sponte solvitur. Si vero natura sibi sola non sufficiat, adjuvabitur omnibus iis, quæ spasmos solvunt, laxitatem ventriculi & intestinorum una cum vappiditate succorum chymo- & chylopoëticorum emendant. Id vero præstabunt omnia, quæcunque antispasticorum, carminantium, spirituumque aromaticorum titulo insigniuntur: præterea omnia stomachica amara, rhebarbarina, roborantia, martialia.

§. XI.

Transeamus ad secundam meteorismi speciem explanandam, nobis saburralem dictam. Causa hujus speciei assignatur saburra quæcunque ventriculum & intestina inundans, sive ex ingestis nata, sive ex viis secundis ad primas delata.

§. XII.

§. XII.

Cognoſcitur ex ſignis ſaburræ præſentis. Signa ſaburram deſignantia ſunt: Os impurum, mucoſum, aut amarum; dentes & gingivæ ſordidæ; lingua alba, mucoſa, flava; anorexia, apepſia, diaphtora; ſalivæ inſipidæ, dulcis, amareſcentis, nauſeoſæ copioſus affluxus in fauces; ructus acidi, amari, putridi, nidoroſi, auſteri, urentes; ſudores nidoroſi, olentes; ſenſus repletionis circa præcordia cum tenſione eorundem; pondus ventriculi cum & ſine ſenſu frigoris; jactitatio continua, inquies ſumma: motus tremulus labii inferioris; nauſeæ conſtantes, vomituritiones, quin & ipſe vomitus materiei acidæ, glutinoſæ, viſcoſæ, amaræ, boraceæ, æruginoſæ, vitellinæ, atræ, fauces exurentis, dentes ſtupefacientis, ſaporis acerbi, metallici; elatio ſupremi, medii, vel infimi ventris, attactum jam facile, jam difficulter ferentis cum quodam lumborum dolore; borborygmi; alvus modo diarrhæica, fætens, inter flatus putridiſſimos, modo iterum inordinata, vel etiam ſtricta.

§. XIII.

Raro hæc ſpecies febre caret. Ferme ſemper febri acutæ, vel pituitoſæ, vel bilioſæ, vel etiam putridæ indolis jungitur: eſtque præ cæteris frequentior, & plerumque, niſi morbus altas nimis radices egerit, bonæ methodo adhibitæ cedit.

§. XIV.

Cura binis indicationibus absolvitur, quarum prima est, ut saburra mobilis reddatur: altera, ut emetico, aut cathartico, aut emeto-cathartico ejiciatur, prouti saburra, vel sursum, vel deorsum, vel per utrasque vias moliatur exitum, suis signis cognoscendum. Saburra mobilis redditur potu copioso, solvente, saponaceo, salito, mellito, saccharato. Saburra expellitur sursum: 1) Vel sola mechanica irritatione faucium; 2) Idea ingrata; 3) Agitatione non consueta, ut v. g. gyratione &c.; 4) Tepidis aquosis, oleosis; 5) Specificis, ut ipecacuanha, tartaro aut syrupo emetico, vel aliis etiam antimonii præparatis &c. Deorsum purgantibus ex salibus mediis, senna, rheo, myrobalanis, jalappa, & similibus exhibitis.

§. XV.

Saburram sursum moliri exitum cognosces præter communia saburræ signa ex sensu repletionis circa præcordia, pondere ventriculi, ex elato epigastrio cum levi quodam ad attactum dolore, ex ructibus variis, ex nauseis ferme continuis, vomituritionibus, nonnunquam etiam vomitibus &c. Unde optime hoc jam agnovit Celsus a), de stomachi morbi agens, cum vomitum per se obvenientem compescendum esse proposuerit; excepit tamen: „ *Si coacuit intus cibus, aut computruerit,* „ *quorum utrumque ructus ostendunt, ejicien-* „ *dus est.* „

Deor-

a) Lib. IV. cap. 5. p. 209.

Deorsum vero saburram exitum moliri patebit, si medius, vel infimus venter tumidulus, & ad attactum leviter dolens exploretur, aut colicus dolor levis per vices recurrens, borborygmi, flatus olidi, alvus inordinata, fætens, diarrhæica &c. observetur.

§. XVI.

Hanc distinctiunculam si adhibueris, sæpe febrium pituitosarum, biliosarum, saburralium evitabis degenerationem putridam, quam vero sæpius invitabis, si emetici loco catharticum exhibueris; hac enim ratione saburra per integrum intestinorum tractum dispersa majori superficiei vasorum resorbentium exponetur, quorum ope illa resorpta, & in massam humorum traducta illorum crasin vitiabit, & degenerationem quamdam inducet, quam communi putredinis vocabulo designamus.

§. XVII.

Tertiam meteorismi speciem constituit meteorismus inflammatorius, cujus causa assignatur inflammatio ventriculi, aut intestinorum undecunque nata, Ballonius a) hanc speciem sub nomine enteridis flatulentæ describit, & familiare valde symptoma febrium putridarum & malignarum esse affirmat.

a) Observ. Lib. II.

§. XVIII.

Notio hujus ſpeciei innititur: 1) Signis communibus omnibus inflammationibus; 2) Signis ſpecialibus viſcerum abdominalium.

Ad ſigna communia inflammationis refertur tumor, rubor, dolor, calor, ſitis una cum lingua alba aut ficceſcente, pulſu pleno, forti, duro, accelerato, febre continua, alvo pauca, difficili, urinis paucis, flammeis &c.

Signa ſpecialia inflammatorum viſcerum abdominalium ex abdomine leviter tympanitico, dolente, attactum difficulter, aut prorſus non ferente deſumuntur: præcipue, ſi dolor ille in eodem conſtanter loco fixus hæreat, ſi febrim acutam continuam, vomitum pertinacem, tormina acutiſſima & ſimilia juncta habeat.

§. XIX.

In nulla meteoriſmi ſpecie pulſus tantopere fallax deprehenditur, ac quidem in hac; eſt enim non raro debiliſſimus, molliſſimus, ſub digitis evaneſcens, licet diriſſima inflammatio in inteſtinis ſæviat. Hinc hæc pulſuum fallacia ſæpe incautos ſeducit, ut mutent methodum medendi, & morbum, quem generoſiſſima methodo antiphlogiſtica debellare deberent, cardiaca, excitante aggrediuntur, quia vires vitæ labaſcere putant, quotiescunque pulſum debilem inveniunt; ſic perverſa hac methodo morbum magis magisque exaſperant, donec

nec inflammatio ad summum evehatur gradum, & abolito omni, tam influxu, quam effluxu vitali in gangrænam terminetur.

§. XX.

Quare, ut hunc errorem evitemus, oportet non soli pulsuum examini inhærere, sed reliqua etiam morbi symptomata, ætatem, sexum, vitæ genus, conditionem, sanitatem præcedentem, statumque præsentem &c. verbo historiam morbi perspicaci lustrare oculo, altero ad anni tempus, morbosque corregentes directo. Si in eruendis indicationibus hac procesferis via, morbus longe faustiorem sartietur eventum, & æger adoptatæ restituetur sanitati, qui cardiaca tractatus methodo certam oppetiisset mortem.

§. XXI.

Methodus medendi in hac specie adhibenda erit antiphlogistica, modo generosior, modo minus generosa, modo etiam generosissima, prouti inflammatio gravior, vel minus gravis, vel gravissima fuerit. Minus generosa methodus antiphlogistica consistit intra solos potus diluentes, attenuantes, emollientes, tepidos larga manu ingestos una cum usu externo fomentorum, cataplasmatum, balneorum & enematum ejusdem indolis. Generosissima vero methodus præter priora exigit simul venæsectiones largas, frequenterque repetitas. Ex hisce facile erit determinare, quid generosior antiphlogistica methodus sibi velit.

§. XXII.

Nunc ordo nos ducit ad quartam ſpeciem, meteoriſmum nempe gangrænoſum. Oritur hæc ſpecies a gangræna viſcera quæcunque abdominis occupante. Peſſimus hic meteoriſmus eſt, & ferme ſemper certus mortis nuncius, licet reliqua ſymptomata videantur ſpem ſalutis promittere.

§. XXIII.

In meteoriſmo a gangræna inteſtinali producto fors daretur caſus, ubi æger ſervari poſſet; ſed is caſus certe ad rariſſimos referendus foret, ſi unquam hoc meteoriſmo præſente tamen quis ſervaretur. Is caſus ſolum tunc obtineret, ſi e. g. exigua tantum portio tunicæ celluloſæ primæ ab internis numerando gangræna corrumperetur, & portionis hujus tabidæ bonitate naturæ, heroica antiſeptica methodo adjutæ ſeparatio a vivo fieret, vulnusque juxta artis leges tractatum conſolidaretur.

§. XXIV.

Contingit non raro in febribus putridis, ut æger, qui jam aliquo tempore ſub continuis deliriis, aut comatoſus, aut furibundus decumbebat, linguam exhibebat aridam, ſiccam, cruſtoſam, anxie & laborioſe reſpirabat, in quo cutis arida, ſicca, inperſpirabilis deprehendebatur, cum pulſu debili, parvo, cui inſcio urinæ & alvus fluebant, qui attactum abdominis tumiduli rudiorem difficulter,

ter, vel plene non ferebat, cui extrema frigebant, quod jam olim damnaverat Hippocrates a), dicens: „*A dolore vehementi partium circa ventrem extremorum refrigeratio, malum;* dico, contingit non raro, ut ejusmodi æger subito sine manifesta causa respiscat, de nullo dolore conqueratur, sese bene habere adfirmet, respiratio emendetur, pulsus antea debilis, parvus, nunc ferme naturalis exploretur. Congratulantur amici, & medicus his solis emendationibus inhærens non attendit ad reliqua concomitantia pessima, licet obvia: nil amplius periculi subesse credens promittit salutem. Sed brevi mutatur tota rerum facies, pulsus jam non amplius naturalis, sed debilissimus, inæqualis, intermittens deprehenditur, meteorismus abdominis crescit, respiratio fit laboriosa, anxia, sublimis, palpebræ fixæ hærent officii sui immemores, oculi cernuntur lachrymosi, aut pulverulenti, aut sicci, extrema frigus marmoreum occupat, sudor viscidus in guttas collectus in facie, collo, jugulo apparet, verbo: adest illa facies hippocratica dicta, & mors cum medici infamia scenam claudit.

§. XXV.

Quare ejusmodi subitæ emendationi absque manifesta causa in morbis acutis nunquam fidendum, reliqua simul symptomata in considerationem vocanda, & his consideratis, pessimisque deprehensis, audacter enunciandum, mortem præ foribus

a) Aph. 26.

bus esse, oriundam ex gangræna partis, morbo antea conflictatæ. Hinc adstantes de imminenti periculo sunt commonefaciendi, ut invigilent ægro, ne illis insciis fatis cedat; hoc si fecerimus, evitabimus scopulos, in quibus toties jam medicorum fama periclitabatur.

§. XXVI.

Supereſt, ut de quinta, eaque ultima meteorismi specie pauca quædam differamus. Generatur hic meteorismus a vesica urinaria, mirum quantum lotio distenta. Ratio, cur vesica, licet plena, tamen non evacuetur, videtur esse quærenda in imminuta irritabilitate tunicæ musculosæ vesicæ, cum reliquæ causæ, uti sunt copia, & pondus, vel acrimonia, a physiologis a) ad excretionem urinæ requisita, adsint, & tamen excretio nulla fiat.

§. XXVII.

Observatur hoc vitium plerumque in ægris graviter decumbentibus, soporosis, comatosis, lethargicis, aut delirantibus. Oportet in ejusmodi ægris præter reliquum abdomen quotidie etiam explorare regionem pubis: & si contingat, ut ibi explores tumorem quemdam globosum, statim in initio huic malo occurras. Neque sufficit quæsiviſſe, an æger quotidie urinam mittat? Sunt enim ægri, qui quotidie sese commingunt, aut etiam lotium ad

a) Vid. cl. Marherri prælect. in Herm. Bœrh. institt. med. T. II. p. 504.

ad matulam mittunt, sed parcam solum quantitatem, aut saltem non omnem: & sic, cum causæ secernentes continuo agere pergant, urina pedetentim magis magisque accumulabitur, & fibræ musculares sensim sine sensu distractæ, tandem elatere omni amisso, impares evadent expellendo lotio, sicque paralysis vesicæ immedicabilis subsequetur, aut, quod adhuc pejus, crepatura.

§. XXVIII.

Huic malo medetur sæpe sola exemptio ægri ex lecto, aut circumductio per cubile, si id fieri possit; hac enim ratione procedendo saepe vesica sui admonetur officii, sponte se se contrahit, & urinas largitur copiosissimas. His incassum tentatis catheter applicandus venit, si vero ob vitium quodcunque urethræ, aut colli vesicæ e. g. inflammatorium, catheter applicari nullatenus posset, vesica e contra lotio mirum quantum distenta nos jam periculi paralysis, aut crepaturæ instantis admoneret, tunc ad vesicæ punctuam erit confugiendum.

VI.

CAROLI PLASS,

BOHEMI-PRAGENSIS

DISSERTATIO

DE

RETROCESSIONE EXANTHEMATUM.

§. I.

Nomine exanthematum veniunt maculæ aut efflorescentiæ cutim corporis humani deturpantes. Differunt tamen efflorescentiæ a maculis, quod præter coloris mutationem concurrat cutis elevatio per pustulas, papulas, phlyctaenas, varos, similesque asperitates cutaneas sese manifestans.

Sunt

Sunt autem pustulæ tumores exigui diametri circiter linearis, colorati, qui apice suppurantur, & in pus vel in crustas abeunt. Papulæ ab his in eo differunt, quod non in suppurationem abeant, sed quid humidi apice rejiciant, tumque in squammas secedant furfuraceas. Phlyctænæ vero sunt tumores exigui, diametrum linearem lati, pellucidi, aquam vel serum continentes & rupti exsiccantur. Vari tumores duri, colorati, pertinaces, sine suppuratione ac desquammatione veluti tubercula scirrhoidea diutissime permanentes.

§. II.

Istorum jam aliorumque dantur quædam, quæ febre stipantur acuta; verum & occurrunt alia, quæ cutem absque febre inficiunt. Inde in *febrilia* dispescuntur & *non febrilia:* ad priora Variolæ, Morbilli, Miliaria, Petechiæ, Erysipelas &c. *Sauvagesio* phlegmasiarum exanthematicarum nomine venientia, ad posteriora vero Scabies, Herpes, Lepra, Achores, Tinea &c. impetigines cachecticæ a *Sauvagesio* nuncupata reducuntur. Alia ex corpore ægro per contactum propagari possunt in corpus sanum, & hæc *contagiosa* audiunt, quemadmodum Variolæ, Morbilli, Scabies; reliqua autem in ordine exanthematum non contagiosorum reponenda esse videntur. Quum autem ab eorundem eruptione varii observentur effectus, ut quædam se conspectui sistant notabili cum morbi levamine, alia iterum cum mutatione ejusdem in pejora ruentis prodeant, oritur nova exanthematum divisio, in *critica* videlicet, & *symptomatica.* Exanthemata quippe febrilia

quandoque critica esse repetitis observationibus evincere satagunt scriptores: Scabiem in epilepsia, mania, peste criticam fuisse observata quoque docuerunt; imo scabiei inoculatio novum ad morbos chronicos, methodo alia insanibiles, superandos, auxilium deprehensa est; licet a viru scabioso penderent minime, de quibus Anesthesiæ a *Celeberrimo Mutzelio* sanatæ legi meretur historia. Sed & obveniunt exanthemata *spontanea* & *factitia*; hæc ineptæ calefacienti medendi methodo, illa spontaneo naturæ motui debent originem. Num autem cuncta exanthematum genera, factitia sint, ut voluere quidam, fusius hic nolim inquirere; sed certum est, visa fuisse exanthemata, in febribus nulla prava methodo calefaciente tentatis, quin imo sola antiphlogistica indicata tractatis, erumpentia.

§. III.

Non omnia exanthemata ex eodem fonte profluunt: quædam ex uno corpore, uti Variolæ, Morbilli, Scabies per contactum transplantantur in aliud; aliæ vero saburræ in primis viis hospitanti debentur; ex hoc petechiæ a *Strackio* descriptæ, & eccoproticis, purgantibus sanatæ, prognatæ esse videntur; non raro erysipelas huic quoque causæ potest attribui. Alia denuo oriuntur ab spissitudine humorum: Sic miliaria alba plerumque procreantur a materie pituitosa crassiori, quam ut queat per cutis spiracula diffiari. Nascuntur etiam alia ab acrimonia humores inquinante efflorescentiarum syphyliticarum, scorbuticarum &c. exemplo. Alia tandem a dissolutione humorum ortum ducunt; huic causæ plerumque debentur

pe-

petechiæ in morbis putridis multum jam provectis apparentis, quæ usu corticis peruviani & acidorum mineralium persanantur.

§. IV.

His nunc breviter præmissis perlustremus varia in specie exanthemata, variasque morborum species, ab eorundem retrocessione pendentes. *Petechiæ* sunt maculæ parvæ morsibus pulicum plerumque similes; ratione coloris in roseas, rubras, cinereas, plumbeas, bruneas, nigras distinctæ, aliis *purpura* sæpe dictæ. Plerumque in castris, nosocomiis, urbibus obsessis, carceribus, aëre vaporibus putridis scatente, homines alimentis corruptis, ad putredinem disponentibus, utentes afficiuntur febre continua, maxime putrida, maculis supra descriptis stipata, quam febrem petechialem appellant Germani, quamque ratione indolis in *benignam* & *malignam* discriminant. Interdum absque ulla febre hæ maculæ cutim occupant, uti videre licet apud *Clariss. Hirschel medicinische Nebenstunden, pag.* 147. Alias & non raro similes in scorbuto observantur. Quidam petechias discernunt in *criticas* & *symptomaticas*, de quorum prioribus revera talibus multi dubitant; cum per hanc eruptionem nihil materiei morbificæ educi e corpore contendant, ut *Clariss. de Haen* dicit: Petechiæ & miliaria rarissime, si unquam critica sunt, frequentissime symptomatica, symptomaticorum vero plurima factitia, *in Ratione medendi pag.* 8. *cap.* 3. *de morbis acutis cum petechiis §.* 1. At *Clariss. Ludwigius Instit. Clin. Nro.* 145. describit petechias benignas, quæ cog-

noſcuntur ex febre, frigore, ſubſequente calore, & circa quartam diem potiſſimum efflorescunt, non lividæ, nec atro purpureæ, ſed roſei coloris, & paucæ, quæ ubi apparent per totum corpus, poſt ſigna coctionis, inſtar criſeos morbum ſolvunt. Æqualem obſervationem fecerat *Clariſſ. Huxham*, dicens *in loc. cit. pag.* 33.: Rubræ autem petechiæ, puſtulæ miliares, aut graves ſudores, morbum ſæpiſſime ſolvebant penitus. Ita pariter *Clariſſ. Sarcone §.* 754. petechias criticas contendit ſe vidiſſe. Ut plurimum ſanguinis diſſolutio, & quidem putrida, cauſam conſtituit hujus morbi, ſed & ſanguis non diſſolutus reperitur interdum. Erumpunt tempore incerto, ordine plerumque ſequenti: Primo circa collum, dein in pectore, tum in dorſo, denique in artubus, raroque in facie & locis non tectis apparent. Ipſæ etiam non ſolum in externa corporis ſuperficie, cum cadaverum ſectiones maculas petechiis ſimiles in partibus internis demonſtraverint, ſedem ſuam habere videntur. Harum retroceſſio mala ab omni ætate habetur Medicis, diros quippe inde morbos, ut Gaſtrodyniam ſæviſſimam cum præcordiorum anguſtia, & diſpnœa &c. excitari, præter *Foreſt. Obſervat.* 59. *libr.* 6. omnes norunt Practici. Utrum vero mala cenſenda ſit, tanquam ſignum virium vitalium ſumme debilium ex ratione ſuperius allegata dubitant aliqui. Diarrhæa tamen eam cum levamine excipiens, colluviem putridam, ſæpe biliosam, removens, critica judicari poteſt, uti & nonnunquam materiæ retrocedentis depoſitiones ad glandulas, ideoque bubones, parotides, abſceſſus juxta articulos formantes, ſalutares deprehenſæ ſunt teſtimoniis Virorum Clariſſimorum. Utrum purpura maligna ſit contagioſa, ut *Clariſſ. Ludwi-*

wigius contendit, valde dubito, cum de peſtis contagio maximi in arte Viri dubitent, in qua tamen purpura peſti conjungi ſolet.

§. V.

Miliaria ſunt exanthemata cutis phlyctænoidea, milii ſeminum magnitudinem habentia, quæ ratione coloris in *alba* & *rubra* diſtinguuntur. In locis depreſſis, humidis, paludoſis, ſubjecta debilioris compagis, maxime autumno & vere obſervantur febre quadam pituitoſæ indolis affici, quæ cutim efflorescentiis miliaribus inficit; hanc vocat *febrim miliarem Allioni* ratione indolis in *benignam* & *malignam* diviſam; aliis *febrim veſicularem*, aliis inepto ſat nomine purpuram albam, uti & aliis *febrim purpuratam* dictam. Verum præter *endemica* aut *epidemica* in locis paludoſis occurrentia dantur quoque miliaria *ſporadica* puerperis familiaria. Hæc, uti & priora ratione materiei contentæ ſunt *aquoſa*, qualibus plerumque in febribus putridis pituitoſæ indolis cutis pingitur; *lacteа* ſæpe in puerperarum febre deprehenſa, *purulenta*, quæ in phthiſi conſummata non raro viſuntur. Iſtorum quædam obſervantur morbi ſymptomata levare, & dicuntur *critica*; ita ab Arſenici pravis effectibus ægrum liberavit febris miliaris; deſquamans totum ægri corpus; alia vero cum deterioribus erumpunt ſymptomatibus, & *ſymptomatica* vocantur, qualia in miliari maligna Allioni Nro. 76. acutiorum deſcribuntur. Miliarium eruptionem praecedere ſolet halitus oris acidus, cutis mollities, anxietas, palpitatio cordis, atque tuſſis peculiaris quaſi catarrhalis, ſudoris odor

acidus, acetum vapidum spirans, qui non videtur a degeneratione lactis in acidum in puerperis derivari, cum & idem odor in aliis non puerperis absque hac causa etiam observetur. Erumpunt illa incerto morbi tempore, idque in collo plerumque primo, tum in sterno, postea in dorso, tandem in artubus, dum faciem plerumque relinquunt intactam. Horum febris, cum miliaribus albis conjuncta, & febris miliaris alba nuncupata, non videtur febris esse nova, nec contagiosa, nec specifica; sed maxime affinis, si non eadem cum febre pituitosa; invadit enim eadem subjecta, eadem occupat loca, eundem quoque cursum tenet, iisdem stipatur symptomatibus, anni tempestate regnat eadem, iisdemque curatur remediis. Febris vero missaris, cum miliaribus rubris, priori minus periculosa, ob easdem rationes maximam cum febre biliosa videtur colere affinitatem. Miliarium retrocessio semper periculosa est, producit enim febrim novam, a materie cum massa humorum nunc denuo circulante genitam, quæ aliorsum deposita varios producit morbos, prout varias petit partes; sic metastasi ad caput facta delirium excitat, phrenitidem, convulsiones, apoplexiam &c.; ad thoracem delata peripneumoniam, asthma, catarrhum &c. provocat; ad abdomen deposita, enteritidem, dysenteriam, diarrhæam causat, adque artus decumbens œdemata, rheumaticos, arthriticos &c. parit dolores.

§. VI.

Juniores homines diætam ordinatam negligentes, simulque plethorici & sanguinei, corpus valide

de exercentes, & perſpirationem augentes, varieque iterum reprimentes, plerumque retroceſſa materie perſpirabili tempore maxime autumnali juxta *Sydenham*, juxta *Cl. Plenciz* vernali præcipue febre ſcarlatina afficiuntur. Poſt laſſitudinem, lenem horripilationem, & ſubſequentem æſtum, cum ſiti, tuſſi, ardore faucium erumpunt communiter die tertia, cumque faciei inflatione, pruritu, & colore cutis, maculæ rubræ, lacteæ, colore pannum ſcarlatinum æmulantes, *ſcarlatina* nominatæ. Differunt a petechiis, quod in his minores ſint maculæ, harumque color non diſpareat preſſione ac in ipſis, præterea petechiæ plerumque cum virium proſtratione & aliis ſignis malignitatis junctæ ſunt; ſcarlatina vero morbus fere ſemper eſt benignus, obſervante *Sydenhamo*. Ait enim: Cum hic morbus (ſcarlatina) nihil aliud mihi videatur, quam mediocris ſanguinis efferveſcentia; nihil quidquam molior; ſatis habeo, ut æger a carnibus in ſolidum abſtineat, & a liquoribus ſpirituoſis quibuscunque, tum ut nuſquam foras prodeat, neque ſe perpetim lecto affigat. *Et Celeb. de Gorter Syſtem. prax. med. Tom. 2. pag. 196. de ſcarlatina ait:* Levis videtur bilioſa corruptio calore antecedentis æſtatis in tenera ætate, motu febrili ad cutim pulſa, exareſcens materia corpus relinquit ſanum. Multi adhuc alii practici ſimiliter ſcarlatinam vix aliquam curam mereri fatentur aut attentionem. Verum alii non ita benignam deprehenderunt; ſic *Celeb. Schulzius Ephemer. natur. curioſ. annot. 6. & 7. obſerv. 145. pag. 206.* deſcribit ſub nomine *purpuræ malignæ* infantum ſcarlatinam, quæ plurimos infantes utriusque ſexus & duodecimum annum attingentes perimebat; periculoſiſſima hujus morbi ſymptomata erant faucium

inflammatio, & tumor leucophlegmaticus; ex quibus funeſtis ſymptomatibus plurimos ſcarlatina laborantes e medio tolli notarunt alii practici, periculoſior eſtque hic morbus in maribus & adultis, quam in fœminis & ætate tenera. Ipſius exitus non unus idemque ſemper; quandoque evaneſcit pedetentim; alias & plerumque ſecedit in furfures, uti illa *Sydenhami*, *Gorteri*, *Schulzii*, alias iterum abſcedit per integras latas lacinias, ut vix non integra chyroteca a manu poſſit ſeparari. Ab ipſa retrocedente anginam præſertim, tuſſim, glandularum tumores, abſceſſus, leucophlegmatiam, interdum etiam lethalem practici viderunt.

§. VII.

Febris *urticata*, purpura Junkeri infantes potiſſimum infeſtans præſertim vere & autumno, illo ſcilicet tempore, quo perſpiratio Sanctoriana ſupprimitur facile, incipit cum leni horripilatione, ſequitur moderatus calor; dein cum multo pruritu & cutaneo rigore exanthemata prodeunt elevata, lata, duriuſcula, qualia ab admota urticâ oriri ſolent; hæc exanthemata plerumque unam occupant corporis partem, quam ſæpe deſerunt, mox aliam invaſura: intra tres aut quatuor dies ceſſat effectus, minutiſſimis ſquammulis ex cute ſecedentibus. Interdum ſine febre eſt, diutiusque durat, & impura ſcorbutica ſubjecta afficit potiſſimum, quam appellant alii *urticam chronicam*. Pro ratione coloris exanthematum, hanc diſtinguunt nonnulli; ſi magis ſunt rubra, in *eryſipelaceam*, & ſi magis ſunt lurida & pallida, in *œdematoſam*. Quomodo ab aliis exanthematibus diſtinguatur,

ex

ex antecedentibus patebit. In hac febre singulare hoc multi observavere, quod in aëre frigido exanthemata magis eleventur, & in calido magis extabescant, uti videre est apud *Vogel de cognoscendis & curandis corporis humani affectibus p.* 115. Videtur ex hoc phænomeno concludi posse, frigus non adeo causam esse retrocessionis, & evanescentiæ exanthematum, eamve, quæ mane fit, tantummodo esse dissipationem materiæ in auras, quia nocturno tempore transpiratio æquabilior fit, & materiam, a febre aucta, nova exanthemata versus vesperam creare, donec ea exhausta fit. Si vero materia superstes non rite excernatur, vel demum ante tempus retrocedat, varii inde effectus exoriri possunt. Si enim materia cutim cum molesta sensatione inflammat, quare non etiam, si ad alias partes deponatur, in illis inflammationem facere posset eo periculosiorem, quo viscus occupabit nobilius?

§. VIII.

Erysipelas est diffusa rubedo, aliquantum elata, pressione albescens, pruriens & ardens. Si febris notabili hoc exanthemate stipetur, dicitur febris *erysipelatosa;* qua absente aut saltem parva, melius a Sauvagesio hoc exanthema *erythematis* nomine venit. Varias id quoque agnoscit species. Sic si magis rubet & ad inflammationem accedit sanguineam, *phlegmonodes:* si vero tumor magis pallidus est, quam solet, & symptomata sunt mitia, *œdematodes:* si durus autem est tumor, *scirrhodes:* si locum mutet, *vagum, ignis volans, volatica:* si non, *fixum:* si quasi cingulum trun-

eum corporis, vel aliquod membrum cingit, *Zoster* a Plinio, *Zona* a Frid. Hoffmanno dicitur: interdum quoque veſiculæ tumorem obſident, & tunc *veſiculoſum*, aut *bulloſum*: quod ſi puſtulæ nigræ adſint, *gangræноſum*: & ſi ulcera ſimul fœda, *ſcorbuticum* appellatur. Differt a ſcarlatina eryſipelas, quod plerumque hoc partem peculiarem occupet, plus tumeat, plusve diffuſum ſit, plusque ardeat. Sedem frequentiſſime figit in facie, collo, mammis fœminarum, in pedibus, in brachiis; rarum vero eſt ventris & dorſi. Febris hoc exanthema concomitans plerumque eſt bilioſa ſimplex, aut bilioſo inflammatoria, qualis æſtate in finem vergente & ineunte autumno frequens viſitur. Cauſæ ejus frequentiores ſunt, ſaburra bilioſa, ſuppreſſa perſpiratio, morſus inſectorum, aut puncturæ, ambuſtiones, venena quædam, hydropicorum cacochymia, uti & fluore albo laborantium, ictericorum; ab ultima hac cauſa ortum, dicitur *eryſipelas ſymptomaticum. Frid. Hoffmann.* ſemper periculum intentat non parvum. Morbus enim hic facile ſua ſponte retrocedit, præſertimque irrationalis medendi methodus ejusdem retroceſſioni anſam ſuppeditat; ſic ſpirituoſa, adſtringentia, unctuoſa, terreſtria, ſaturnina, fortiora purgantia, venæſectio intempeſtive inſtituta, vim repellendi exercent, atque tum maligniores morbos cauſant. *Hippocrates* ipſe *Aph. XXV. Sect. VI.* inquit: Ignem ſacrum ab externis intro converti non bonum, ab internis vero extra bonum. Interdum retroceſſio ipſa funeſta producit mala, quin mortem ſæpe ipſam advocat; ad hanc rem accommode iterum *Hippocrates libro primo de morbis p. m.* 149. ait: Si foras diffuſum intro vertatur, & pulmonem corripiat, nulla vitæ ſpes

reli-

reliqua est; mitissimus effectus illius retrocessionis ut plurimum est, si in alio loco proserpat; materia nempe rursus ad peripheriam ducta; ob acrimoniam & visciditatem stagnat in vasculis cutaneis, & ita novum format erysipelas. Neque vagum erysipelas omni periculo vacat, nam testante *Ill. Præside Lib. Bar. de Störck ann. med. Tom.* 1. *pag.* 99. non semper denuo externas, ignobiliores & ad vitam servandam necessarias partes infestat, sic in pulmonibus peripneumoniam, in cranio contentis phrenitidem, cum vehementibus deliriis, convulsionibus & maximis capitis doloribus causavit, ubi paulo post mors supervenit. Alii subitaneum catharrum suffocativum sequi observavere, aut etiam anginam & dolores colicos, in aliis metastases ad glandulas, quæ intumescunt, in abscessum, aut etiam, quod rarius accidit, in gangrænam mutantur. Alii alia mala ab erysipelate recurrente in suis observationibus notarunt.

§. IX.

Morbilli sunt morbus contagiosus, plerumque epidemicus, maculas rubellas parum elevatas producens: in his regularibus macularum eruptio fieri solet quarto morbi die primo in facie, secundo in trunco, tertio in artubus, in minus regulari morbillorum specie nunc citius, nunc serius ordine incerto prodeunt exanthemata; differuntque a scarlatina, quod hic sint magis elevatæ, quod papulæ morbillosæ magis discretæ, minus confluentes, minus rubræ; quod etiam morbilli regulare tempus plerumque, regularemque eruptionis & exsiccationis ordinem servent; quarto scilicet erumpunt

die

die & sexto die disparere incipiunt. Ipsorum eruptionem præcedunt, & concomitantur symptomata propria, uti oculorum lachrymatio, coryza, frequens sternutatio, angina levis, tussisque peculiaris catarrhalis; iisdem quoque symptomatibus distinguitur febris morbillosa a febre variolosa in primo stadio, in quo multa symptomata utrique febri communia observantur; facta eruptione morbillosa febris plerumque continuat, aut saltem perparum imminuitur solummodo, dum in regularibus variolis post eruptionem febris & omnia cessant symptomata, aut mitigantur plurimum; circa sextum diem incipiunt exanthemata minus colorata fieri in facie, sed in reliquis corporis partibus latissima & maxime rubra apparere. Postea his evanescentibus omnia loca, quæ occuparunt, albicant; ac si farina forent conspersa, rupta cuticula, quæ plerumque decidit forma squammularum. Morbilli simplices regularesque raro sunt periculosi; asserit enim *Celeber. Plenciz tractatu de scarlatina pag.* 26. quod ex tot centenis ægris morbillis laborantibus, qui se ejus curæ commiserant, neminem amiserit, quin imo ex aliis eodem morbo affectis, & aliorum medicorum commissis, rarissime quempiam exinde denatum legerit, aut viderit. Verum quandoque contingit, ut a regulari typo per consortium alterius morbi abducatur, sicque multos infantes notabili exponat periculo, & e medio tollat. Maligniores quoque sæpe effectus, quam qui morbo durante apparent, ab evanescentibus, debito licet morbi tempore, remanent, quorum frequentissimi fere sequentes sunt: Febris increscens, tussis, aucta respirandi difficultas, imo & sæpe peripneumonia, quam non raro phthisis excipit, unde ægri feliciter aliunde morbum

bum passi, hic non infrequenter occiduntur; in aliis angina, tumores glandularum, in quibus forte aliquid miasmatis restitat, unde post aliquod tempus recidivi morbilli, uti *Cl. Rosenstein in Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten* annotavit, oriuntur. Nonnunquam ophthalmia, œdemata, aut etiam anasarca ex hoc morbo sequuntur. Interdum tamen retrocedens miasma, & ad intestina depositum, & diarrhœam producens morbum solvit, si præcipue justa instituatur medicatio & debitum ineatur regimen. *Sydenhamus* in suis operibus plurima de morbillis legi merentia offert. Plurima quoque designavit *Illustriss. Delius in Fränkischen Sammlungen Vol. 2. Part. 8. pag. 150. & seq.*

§. X.

Febris continua, contagiosa, plerumque epidemica, cum pustulis majoribus speciei propriæ & singularis suppurantibus dicitur *variolosa*, quæ febris præ reliquis, si omnia rite succedunt, in *naturalibus* & *inoculatis* sua tempora servat exactissime, ita, ut post tertium, aut incipiente quarto die pustularum eruptio primo in facie, & tunc in aliis corporis partibus, versus octavam diem suppuratio, & versus undecimam fiat desiccatio. Exanthemata suppurescentia, characterem satis distinctivum, ab omnibus febribus exanthematicis constituunt. *Anton. Benivenius Florentinus, de abditis morborum causis & curationibus*, venereas quidem descripsit variolas, atque videtur esse quandam inter utramque speciem cognationem, veluti eam quoque verbis: *Grande & petite verole*,

le, indicant. Aſt variolæ venereæ non ita, uti veræ, elevatæ, nec ſemper febre, eandem periodum ſervante, conjunctæ ſunt; ideoque, cum hæ variolæ cum morbo venereo raro ſint junctæ, iſtas cum illis non confundet præſertim medicus. Diſpeſcuntur jam variolæ vulgo in *nothas*, ſive *ſpurias*, quæ tantummodo ſero, poſtea ſpiſſiore reddito, non plane ita, ut in veris ſuppuraſcente, ſunt repletæ, & non ultra ſeptimum diem durare ſolent, & deinde in *veras*, veræ iterum in *benignas* & *malignas* dividuntur; differunt hæc ab illis: quod nec conſuetum tempus, nec conſuetum eruptionis ordinem ſervent, quod in malignis plerumque adſit artuum & lumborum dolor graviſſimus, quod in malignis facta puſtularum eruptione febris aut intendatur, aut ſaltem non imminuatur, quod puſtulæ non eleventur, non matureſcant, ſed depreſſæ maneant, quod eædem ſint plerumque confluentes, & in colorem pravum mutentur; quod miliaria, petechiæ, eryſipelas, aliaque exanthemata iis admiſceantur; adſint ſæpe hæmorrhagiæ variæ, narium, ventriculi, pulmonum, inteſtinorum, renum, quarum ultima a medicis damnatur maxime; quod alia quoque febris malignæ ſymptomata his aſſocientur. Malignitas variolarum minime dependet a copia miaſmatis, qua aliqui variolas reddi putant confluentes, nec dependet ab ejus prava indole, ita, ut a contagio variolarum malignarum neceſſario malignæ oriantur, ut alii credunt; inoculati enim eodem pure & eadem puris quantitate variolas numero & ſymptomatum varietate accipiunt differentes; quod norunt optime, qui inoculationes plurium infantum ſimul obſervavere; ſed malignitas dependet, ut plurimum a conſortio alterius morbi cum variolis com-

complicati ex obſervatis *Clariſſ. Profeſſ. Stollii Rat. med. Tom. II. Cap.* 12. Signa, quæ, ſi epidemice graſſantur, & diſpoſitio nondum eſt ſublata, variolas indicant, pro ratione ſubjecti, ætatis, & aliarum circumſtantiarum, variant, frequentiſſime vero agrypnia, aut inquietus ſomnus cum pavoribus, ſomnolentia inſolita, adſunt; concomitantur ea, cardialgia, dolores lumborum, convulſiones in tenerioribus, & haud raro epilepſia (quæ quidem aſſerente *Sydenhamo* & confirmante *Roſenſteinio* bonam prognoſim admittit) vomitus, diarrhæa futuras variolas præſagiunt. Febris autem ſub eruptione nimiis fracta, ab irrationali methodo, tam plenariam macularum eruptionem impedit, quam etiam retroceſſionem materiæ, jam extruſæ, producit, ex qua recidivæ variolæ interdum oriuntur, aut ſaltem in ſtadio tertio, aut quarto, novarum puſtularum eruptio ulterior actuatur, quæ varie ſæpe decurrit. Porro retroceſſio diarrhæam producit, & ſalivationem, eamque, ſi jam adeſt, auget, ut tamen, ſi hæc rite ſuccedant, per has vias materies ſæpe educatur, & oriatur criſis acceſſoria, his vero ſuppreſſis angina gravior, & inteſtinorum inflammatio cum diarrhæa fætida, ſanguine, & pure mixta, gangrænam præſagiente ſequuntur, quæ non raro mortem infert. Verum tamen potiſſimum ad glandulas deponitur materia, has obſtruit, indurat, ſicque multos alios morbos generat, ita ad glandulas circa articulos delata, impotentiam membrum movendi, & ſæpe anchyloſin excitat, interdum quoque duriſſimas partes corporis afficit, & illis cariem inducit. Retroceſſio porro in omnibus ſtadiis, inflammationes, abſceſſus, ſpinam ventoſam, bubones, ulcera, convulſiones, epilepſiam,

tuſ-

tussim, febrem lentam, ophthalmiam, hypopium, lippitudinem, abscessus corneæ, indeque visus obscurationem, œdemata, & multos alios morbos creat. Diarrhæa quoque interdum post stadium exsiccationis revertitur, quæ & materiam retrocessam & relictam apud nonnullos eliminat.

§. XI.

Inter morbos cutaneos chronicos maxime *scabies*, eaque varia, eminet, quæ periculosos sæpe morbos post se trahit, si vel regimine, vel medicamentis, vel alia de causa retrocedat. Cognoscitur ex pustulis exiguis, lentis, aut grani milii magnitudinem habentibus, scalpendo ruptis, & dein crustosis, valde prurientibus, manus potissimum infestantibus, contagiosis. Hic effectus vel sponte oritur, in illis præcipue, qui diætam crudam, & vitam sedentariam agunt, cibisque salitis, & fumo induratis, nimis vescuntur, consuetas evacuationes, & munditiem, ex negligentia, vel inopia, negligunt, vel viscerum obstructione jam laborant, in aëre humido, impuro, perspirationemque impediente vivunt, aut alios morbos, antequam rite curentur, supprimunt, & denique ex contagio facilius in hunc morbum incidunt, hinc quoque in nosocomiis, in castris, & similibus locis, & ubi vitæ genus simile ducitur, familiaris est morbus. Ex his jam causis nata, partes frigori expositas, ut manus, genua, cubitum potissimum afficit, inde per corpus dispergitur. Admodum varia symptomata, & specierum discrepantia in hoc morbo adest; unde etiam diversas acquirit denominationes. Frequentior in his regionibus

est

est scabies *sicca*, quæ pustulas minores, potissimum circa articulos, & manus, non adeo multum ichoris fundentes, sistit, & ob intolerabilem pruritum, noctu imprimis exacerbatum, cum scalpendi cupiditate, ægros vexat; sed & *humida* observatur, in qua pustulæ jam minores sunt, etiamque ichorem, & sanguinem resolutum, si loca scalpendo irritentur, effundunt. Gradus aucti, & maligniores redditi hujus morbi, qui in hisce regionibus non tam vulgares sunt, propriis quoque insigniuntur denominationibus, de quo videri potest *Cl. Ludwig. Instit. med. clin. pag.* 228. *§.* 513. Si hæc a miasmate venereo orta sit, *venerea*, si a scorbuto, *scorbutica* audit. Scabies tamen, utcumque pruritu molestissima, nullum vitæ periculum importat, maxime si topica sit, nec sanguinem alte infecerit virus, modo mala methodo non retropellatur; imo datur scabies *critica*, & salutaris in morbis gravioribus, ac apud Indos scabiosi a pluribus morbis immunes sunt. Verum, si retrocedat materies scabiosa, plura & gravissima mala, imo non raro solet inferre mortem. Inter singulares retrocedentis effectus referri meretur exemplum notabile, de concretione fere omnium viscerum abdominalium, & induratione glandularum, quod *Illustriss. Delius in actis phys. med. acad. cæsar. natur. curios. Vol. VIII. pag.* 384. & 385. annotavit. Aridam & fissam linguam, sitim cum sapore muriatico in ore, calorem vagum, post retrocedentem scabiem, in fœmina quinquaginta annorum *Cl. Hirschel* observavit, & cum spiritu vitrioli aqua diluto sanavit. Præterea quotidianæ practicorum observationes docent multos alios gravissimos morbos a scabie retrocedente produci, veluti tumores glandularum, abscessus, ul-

cera, œdemata, hydropes, tuſſim, aſthma, phthiſin, catarrhum ſuffocativum, convulſiones, febres continuas, & intermittentes, inflammationes tam viſcerum, quam aliarum partium, apoplexiam, epilepſiam, catalepſin, diabetem, tremorem, ſoporem, ſtupiditatem, ſurditatem, cæcitatem, vomitum, cardialgiam, colicam, diarrhæam, hæmoptyſin, icterum, febrem lentam, guttam ſerenam, ophthalmiam, mictum & vomitum cruentum, ſuruncules, bubones, aphoniam, & ſtimulum inſignem & involuntarium ad Venerem, & quæ ſunt reliqua.

§. XII.

Superſunt adhuc quidam morbi exanthematici, qui cum prioribus magnam habere videntur affinitatem, & juxta plurimorum medicorum ſententiam ſpecies ſcabiei ſunt; ſcilicet cruſta lactea, achores, favus capitis, tinea, & intertrigo. *Cruſta lactea* omnium horum morborum mitiſſimus, genas, frontem, tempora, mentum occupat; infantibus tantum annuis, hisve accidit, dum lacte utuntur, unde cruſta lactea, & ab aliis tinea lactea dicitur. Incipit a phlyctænis, ſeu veſiculis oleoſo ſucco turgidis, cohærentibus, albis, deinde flaveſcentibus, illæ veſiculæ exſiccatæ, corrugatæ fundunt paucum humorem concolorem, blandum, qui exſiccatus cruſtas efficit albeſcentes vel flavas, raro bruneas, his ſanatis nulla veſtigia in cute ſuperſunt, cum ſola epidermis ſit læſa. *Hippocrates in libro de morbo ſacro* loquens, de hoc morbo ait, prodeſt, ſaltem minus malum eſt, quam ſi materies morboſa remaneat; hinc morbus pe-

periculo vacat, nisi incaute repercutiatur. *Achores* autem & favus capitis, sunt capitis ulcera, partis capillatæ præsertim, ex tuberculis, vesiculis, nodis, orta, ex quibus ichor fætidus, & tenax emanat, qui tandem in crustam densam mutatur; accidit plerumque hic effectus pueris seminio scrophuloso, utut nondum evoluto, fætis, aut quorum sanguis acrimonia peccat, ob errores nutricis iracundæ, vino deditæ, scrophulosæ &c. Propter sorditiem & purulentiæ putredinem acerrime fætet caput achoribus affectum; & ob pectinationis defectum pediculi generantur; inde pruritus & scalptus diriſſimus, inde pervigilium, macies, quandoque cum faciei pallore, corporis hectica consumptione, quod tamen de tinea maxime est intelligendum. *Tinea* tantum gradu ab achoribus & favo diversa esse videtur, in qua crusta jam siccior & crassior est, & colorem album vel & flavum ostendit, aut & nigrescentem. *Intertrigo* magis est excoriatio genitalium, ani, perinæi, aurium, & axillarum, potissimum ab acrimonia urinæ, sudoris, & fæcum in infantibus, qui fasciis, & cunis involvuntur, orta: interdum ipsam mortem producit crusta lactea & intertrigo repressa. *Vide Illustr. Delii amœn. med. pag.* 366. & 367. Sæpe autem vicinas partes corripiunt hæ retrocedentes affectiones, & in illis mutationes efficiunt noxias; unde ophthalmia, surditas, apoplexia, epilepsia, synochus, diarrhœa, imo phthisis orta est. Sic vidi in nosocomio Hispanico juvenem quatuordecim annorum, qui ante quadriennium tinea laborabat, quæ dein medicamento externo, nempe pulvere sub nomine contra pediculos in officinis prostante, exsiccata fuit, materies autem, cum se evacuare non potuisset, depositiones va-

rias ad glandulas circa collum & ad abdomen fecit, tumoresque scrophulosos produxit tam pertinaces, ut hic juvenis phthisi nunc consumatur scrophulosa; in infantibus ob majorem irritabilitatem & sensibilitatem, oriuntur convulsiones, fitque eclampsia, aut quoque asthma, tussis ferina, catarrhus suffocativus, & reliqua fere omnia, quæ a scabie retropulsa orta observantur.

§. XIII.

Magnum ab exanthematum retrocessione periculum semper importari sufficienter patet ex malis effectibus inde oriundis supra allegatis, & alibi apud observatores medicos legendis. Hinc quando medicus rationalis exanthematum retrocessionem imminentem judicat, eam prophylaxi debita præcavere omni opera studeat; doceatque ægros, quid omittendum & agendum sit, ut ita causas, quantum fieri potest, removeat. Cum autem hanc curam ut plurimum ægroti negligant, & maxima pars hominum a medico consilium non petat prius, ac versetur jam in periculo, ipsa therapia nunc in periculosis hisce morbis rite est instituenda.

§. XIV.

Materia exanthematica a superficie corporis ad interiora retropulsa triplicem potest inire viam; fieri enim potest: 1) Ut materia humori cuidam excrementitio assimilata, per colatoria huic humori excernendo apta eliminetur e corpore; cognoscitur id ex aucta post retrocessionem exanthematum qua-

quadam evacuatione naturali, & ex eo, quod aliunde æger bene se habeat. Optimus est, & semper optandus iste retropulsorum exanthematum exitus. In hoc casu nihil agendum habet medicus, nisi, ut evacuationem, quam molitur natura, levi quodam adjuvet auxilio; 2) Si materies exanthematica humori cuidam excrementitio non fuerit assimilata, contingere poterit, ut universali massæ humorum admixta, cum eadem totum oberret corpus ita, ut febrim excitet, quod iterum cognoscetur ex disparitione exanthematum, novæ febris præsentia, & absentia signorum factæ ad aliquam partem metastaseos; 3) Si materies nulla, per quæ excernatur, colatoria apta inveniat, sed cum massa humorum corpus oberrans, parti cuidam ex quacunque causa debilitatæ occurrat, in hac parte figet sedem, metastasinque faciet; unde numero fere infiniti morbi progigni poterunt, variis nominibus denominandi, prout hanc vel illam functionem in hac vel illa parte observabimus læsam, sic v. g. si materies exanthematica caput petierit, ibidem producere valebit cephalalgiam, cephaleam, hemicraniam, otalgiam, ophthalmiam, amaurosin, delirium, convulsiones, eclampsiam, epilepsiam, apoplexiam, quin & mortem ipsam. Ita varii morbi in aliis partibus exoriri possunt, prout hæ partes variis functionibus in corpore inserviunt. Vide Paragraphos præcedentes, in quibus morbi a variis exanthematibus retropulsis orti, & observatione detecti sparsim observantur. Quomodo nunc in morbis hisce diversis, & adeo periculosis sese oportebit gerere medicum? In casu exanthematum ad interiora recurrentium indaget ipse omnium primo, an materies recurrens per naturalia corporis humani colatoria non moliatur exitum,

id ex prædictis signis agnoscens, hoc naturæ opus apto quodam adjuvet remedio; verum tali in casu, cum æger bene se plerumque habere soleat, raro hic medici opus auxilio. Ast si materies retrocedens nulli naturali accommodata fuerit colatorio, remanebit in corpore, illudque cum massa humorum obrrabit, febrimque excitabit periculo vix non semper stipatam. Hic inquirat sedula cum attentione in retrocessionis causam detectæque medendi methodum accommodet. Solent autem retrocessionis causæ esse frequentiores: 1) Ingesta quantitate aut qualitate peccantia; 2) Animi affectus validiores, qui humores a peripheria repellunt ad centrum, v. g. terror, metus, mæror &c. 3) Perfrigeratio, & alia applicata corpori repercutientia, adstringentia; 4) Immodicæ evacuationes symptomaticæ. Si a prima causa exanthematum facta est retrocessio, ex confessione ægri, qui peccatum in diæta commisit, & ex præsentibus signis eruditatum in primis viis contentarum cognoscenda; cura tunc erit, evacuans, vel emesi, vel catharsi, vel emeto-catharsi, prout saburra sursum vel deorsum turgere observabitur. Quod si animi affectus validiores, ex prægressis, ex pulsu irregulari, ex insolita anxietate, ex frequenti animi deliquio, ex spasmis præsentibus, aut convulsionibus causa retrocessionis esse deprehendantur; indicationes erunt: spasmos ab animi affectibus excitatos absolvere, & inde repulsos ad interiora humores denuo ad exteriora provocare, quod obtinebitur remediis vi antispastica & sudorifera simul donatis, qualia sunt præ cæteris: Opium, crocus, camphora, castoreum, moschus, ruta &c. quorum vires adhuc juvare poterunt frictiones corporis cum camphora. Si autem perfrigeratio aut

appli-

applicata corpori repercutientia, adstringentia exanthematum retropulsioni dederint ansam, uti praegressa ostendet perfrigeratio illiusve causa, praesens cutis siccitas, & sensus horroris in superficie corporis, instituatur tum curatio alliciendo & derivando humores ad corporis superficiem, per aërem moderate calidum, per teporem lecti, per potus leviter diaphoreticos, per balnea, toti corpori, aut parti antea exanthematibus stipatae, applicata. Si vero a nimiis evacuationibus fiat retrocessio, totus cardo vertetur in eo, ut haec apto sistatur remedio. Ast non raro accidit, ut exanthemata retrocedant absque manifesta causa, a qua curatoria desumi posset indicatio, quid tunc medico in tali febre agendum restat? In simili febre, quemadmodum in omni alia, cujus causa materialis extra territorium sita est medici, methodus indirecta locum sibi vendicat; febris videlicet in debito moderamine continenda est, omnia corporis colatoria aperta tenenda, obstacula omnia curationis removenda, symptomatibus urgentioribus prospiciendum. Febrim autem moderabitur, qui exorbitantem vim vitalem potibus antiphlogisticis, enematibus, & in majori gradu exorbitantiae v. s. deprimet; aut qui depressam stimulantibus, excitantibus eriget, aut qui moderatae jam aptum vehiculum diluens solummodo propinabit. Jam si tertius retropulsionis exitus, metastasis scilicet, ad aliam partem facta, locum habet, unde & quaenam indicationes formandae sunt? Practici hunc in finem metastases distinguunt, in *benignas* & *malignas*; benignas vocant, si materies partem nobiliorem deserat, aliam minus nobilem occupatura; si vero contingat contrarium, metastasin appellant malignam. Quamprimum nunc metastasin benignam moliri deprehen-

ditur natura, ea fotibus & cataplasmatibus emollientibus, ut materies facilius colligi possit, est adjuvanda. Si autem metastasin jam factam esse agnoscas, videre oportet, utrum cum inflammatione facta sit; utrum sine inflammatione producta obstructio; utrum denique abscessus, etiam sine inflammatione prægressa, fuerit ortus. In primo convenient emollientia, in secundo proderunt maturantia, irritantia, & in tertio, juxta leges chirurgicas puri conciliabitur exitus, ulcus mundabis, & mundatum consolidari adlaborabitur. Si vero maligna adfuerit metastasis, fieri potest similiter inflammatio, vel sine hac obstructio, aut effusio materiei in aliquod corporis cavum, aut subita gangræna, quæ ullam vix admittit medelam. Hujus etiam casus primus, venæsectiones, potus emollientes, eccoprotica, & cætera, quæ revulsionem absque aucto humorum motu causare possunt aliquam, expetit. Secundus requirit acriora revellentia, purgantia, enemata acria, vesicantia &c. quæ in primo nocerent casu. Si tertium contingerit, quandoque a revellentibus optatus obtinetur effectus; his vero frustra adhibitis ad operationem chirurgicam, quæ sola in hoc casu ferre potest opem, confugiendum est.

VII.

VII.

FRANCISCI BIDISCHINI,

TERGESTINI

DISSERTATIO

DE

RECONVALESCENTIA.

§. I.

Reconvaleſcentiam peculiarem, tædioſam ſæpenumero deſiderare curam norunt Medici, qui reconvaleſcentium quærelas, quas morbi ſæpe reliquias, diætæ ſæpe perverſæ ſobolem videre eſt, audire coguntur, quam frequentiſſime; plus adhuc augendas, ſi præcipue ægri, (quod fieri communiter videmus) a morbo nunc liberati, ejus quoque effectus diæta bona ſola, & domeſticis, ut ajunt, remediis debellari poſſe ſine Medici auxi-

liantis adminiculo credunt: in pejora tunc ruere omnia indies vident, morbum male curatum clamant, cujus recidivam præcavere facilius longe fuiſſet, quam morbum primo curare; haud raro inde reconvaleſcentium mortes non morbi, ſed neglectæ reconvaleſcentiæ effectus.

§. II.

Sub *Reconvaleſcentiæ* nomine omne illud tempus intelligimus, quod a fine morbi ad perfectam uſque virium reſtaurationem intercedit.

Initium convaleſcentiæ determinare non ſemper æque facile eſt, cum levis ſæpe febricula in initio convaleſcentiæ adhuc adſit, debilitas uti in ipſo morbo eadem, accedit, quod cum duratio ejusdem morbi non ſemper ſit eadem, morborum initia ipſis plerumque ægris incerta ſint, finis quoque morbi, reconvaleſcentiæ initium lateat. Inſcius exinde ſæpe hæret Medicus, utrum a primis ſymptomatibus, quæ æger queritur, utrum a die, qua decumbere cogitur, exordium morbi ordiri debeat, cum hac in re ægri major, vel minor ſenſibilitas plurimum diſcrimen inducat.

Practicum hoc in dubio errorem committi tamen non poſſe ex eo eluceſcit, quod imminuto notabiliter morbo iisdem, uti prius remediis parciori licet doſi per tempus uti pergat Medicus; optimus enim, qui in convaleſcentia habetur indicationum fons, ipſo ex morbo prægreſſo deſumitur. Qua in re notandum, plurimum intereſſe, ut tum cujuslibet morbi, tum & convaleſcentiæ du-

ra-

ratio, terminusque perfecte sit cognitus, alias pro sanis dimittuntur ægri vix morbo superato, inde recidivæ facilitas, & languores chronici tota sæpe vita perstantes plerumque insequuntur; hoc neglecto studio symptomata febrilia credimus, quæ convalescentiæ incipientis signa sunt, remediis & sæpe adhuc heroicis renascentes vires inviti suffocamus.

Ut autem, quid sub convalescentia fiat, intelligi liquido possit, qualis reconvalescentium status sit, quæ solidorum indoles, quæ natura humorum, præliminarie indagemus; sic enim quid spei, quid metus ac periculi hoc in statu adsit, brevi patebit.

Morbo fractum corpus convalescentiam ingressum solida debilia exhibet, humores deficientes, aut saltem cacochymicos, per morbum enim prægressum irritata solida violentius agentia tonum amittere necessario debent, cum insuper ob secretiones male factas & circulationem nimis auctam, aut perturbatam solidorum nutritio aut prava, aut nulla, solidorum robur continuo plus dejiciunt. Fluida interim violento motu acta magis acria facta copiosius expulsa non restituta humores cacochymicos exhibent, varia inde reconvalescentium symptomata deducere facile erit. - Præcipua horum sunt: Debilitas, deliquia animi, dum erecto sunt corpore, frequentiora, vertigo, pallor, macilentia ingens, cutis vix adhærens ossibus non nisi musculorum vestigia refert, sudores nocturni, pulsus celer, debilis, levis plerumque ad vesperam febricula, sensuum in - & externorum languor, appetitus primo parcior, sensim auctus sæpe ad bu-

bulimum usque, ex paulo largiori cibo anorexia, nausea, vomitus, febris, ineptitudo ad motum, lingua plerumque alba muco obducta.

Diversorum adeo symptomatum explicatio ex antea præmissis clare deducitur, sensuum in- & externorum debilitas, animi deliquia, pallor, emaciatio corporis ex humorum defectu oritur, cum in morbo tum artificialibus evacuationibus, tum naturalibus ipso morbi stimulo auctis humores deperdi necessarium sit: Pulsus celer, & debilis simul ex irritabilibus magis solidis factis, & defectu simul humorum, & solidorum propellentium inertia nascitur; sudores nocturni, ineptitudo ad motum ex solidorum propellentium fracta vi pendent, appetitus auctus naturæ bonitate oritur deperdita restituere conantis, quin tamen debilior adhuc primarum viarum compages largiori paulo cibo ferendo par sit, quod lingua a naturali adhuc colore abludens, quæ & ventriculi, & intestinorum colorem & indolem præsefert, aperte docet. Hoc nunc in rerum statu quid timendum sit, levi negotio facile quilibet pervidebit: vix a morbo emersum corpus & solidorum & fluidorum labe infectum levi ex causa in priorem relabitur ægritudinem, multo nunc majorem, quo plus a præcedente morbo debilitatum fuerit corpus, ut sic novus morbus superveniens viribus ægri major illum succumbere necessario cogat.

§. III.

Sed non unam semper eamdemque observare est Reconvalescentiam, sed pro morbo vario præ-

gresso

greſſo variare; qua in re tam complicata, ut quidam ſaltem ordo obſervari poſſit, duplici præcipue ſub reſpectu convaleſcentiam generali diviſione conſiderare licet; ſcilicet: 1) Convaleſcentiam poſt acutos, & 2) poſt chronicos morbos. Acutæ febres diverſiſſimæ quoad indolem, & curam cum ſint, variam quoque, tempore reconvaleſcentiæ, petere curam facile quilibet perſpiciet. Reconvaleſcentiam, poſt morbos chronicos & cognitu difficiles curatu ſæpiſſime impoſſibiles in recidiva impedienda totam ferme conſiſtere norunt Practici, quæ cum & radicalem ſingulorum horum morborum curam deſideret, quam percurrere ſcopus haud eſt, quoad generales ſolum regulas circa illam obſervandas conſiderari poterit, peculiaribus quibusdam certis in morbis ipſa ſub reconvaleſcentia obſervatis ſymptomatibus haud omiſſis.

Febres cardinales tantum percurrere juvat, utpote ad quas innumeræ aliæ facili negotio poterunt revocari: poſt ſingulas enim harum conſiderare convaleſcentiam & prolixum non minus ac inutile jure duxerim.

§. IV.

Inflammatoriæ febris e virium exceſſu ortæ debitæ ac ſua methodo curatæ ceſſante febre reconvaleſcentia orditur, hoc in ſimplici benigna inflammatoria febri 14to communiter die contingere obſervata docent: exceptio facienda in conſtitutione phlogiſtica terminari incipiente, quæ quod in acutie remittit, longitudine lucratur, & ad ſeptimanas uſque extenditur. Nonniſi querelas de virium

rium defectu hoc in statu audire est, eo major hic virium percipitur ruina; quo febris violentior plures evacuationes desiderabat.

Vires restituere unicam hic facit indicationem, quod bona diæta non vinosa tamen, & remedlis primis saltem temporibus adhuc antiphlogisticis iisdem, quæ durante inflammatione dabantur, plenarie conficitur, parciori tamen antiphlogisticorum emollientium dosi hoc tempore opus est, nisi majorem inducere corpori debilitatem excedente potu emolliente velis; antiphlogistica hæc si negligantur, continuo periculo exponitur æger recidivæ, cum illa in inflammationem propensio tempore Reconvalescentiæ nondum deleta facili ex vitio recrudescere malum faciat, cum tamen cæteris paribus inflammati citius plerumque reconvalescant, nullis hi roborantibus, stomachicis plerumque indigent toto reconvalescentiæ tempore; quinimmo, si hominem antea inflammatione detentum roborantibus, & stomachicis tractes, in novum morbum inflammatorium ob vires iterum nimis auctas conjicies, quod tristi indies experientia confirmatum videmus. Inde est, quod, qui inflammatione decubuerunt, toto tempore reconvalescentiæ arceri deberent a diæta sicciori, paulo pleniori, a quocunque stimulo. Neque hoc reticendum, quod cito iterum vires reassumant reconvalescentes ita, ut post octo convalescentiæ dies vix advertas hominem ægrotasse, quod equidem in flore solum ætatis contingere, divinare quilibet facile poterit.

Aliud

Aliud quoque notabile ſymptoma negligi non debet: contingit equidem, febres inflammatorias univerſales mitiores in febres conſtitutionis ſubſequentes convaleſcentiæ tempore abire. Exemplum rem clarius illuſtrabit: Ponamus, quod menſe Aprili, vel Majo aliquis laboret febri inflammatoria, hæc mitius tunc erit, tardius recurrens, non terminabitur modo alias febribus inflammatoriis communi, ſed ſemper ferme abit in febrim ſuccedentis conſtitutionis; quam ſi bilioſæ indolis eſſe accipiamus, hæc febris inflammatoria miteſcens poſt duas ſeptimanas, poſt 20 etiam dies abibit in febrim novæ conſtitutionis. Plures, quæ id confirmant obſervationes hoc anno colligere facile erat, tam in Noſocomio Practico, tum SS. Trinitatis; haud paucos enim inflammatoria, vel rheumatica, vel intermittente febre antea detentos ſub Reconvaleſcentia nullo commiſſo vitio in putridam illius Conſtitutionis incidiſſe, omnes vidimus. Facile inde decipi ſæpe medicum non attentum poſſe, clarum eſt, qui ſolutionem morbi poſt 14 dies exſpectat, & prædicit; novi tunc oriuntur calores, nova antea non præſentia ſymptomata. Calor urens, jactitatio, nauſea, meteoriſmus &c.: Errores tunc in diæta commiſſos accuſant medici, recrudeſcentiam morbi timent, ubi morbus alterius conſtitutionis revera ingruit. Quod non de inflammatoria ſolum, ſed de omnis alterius quoque febris ſpecie attente obſervandum eſt.

Febrim inflammatoriam cum topica alicujus viſceris affectione facilius adhuc pati recidivam Pleuritidis & Peripneumoniæ exemplo diſcimus; motus tunc, aura frigidior, cibus ſaturatior, potus

tus etiam leviter vinosus sedulo hic vitanda sunt; leviſſimus enim ſtimulus, motus, chylus craſſus debilem pulmonem magis nunc ſenſilem de novo irritabit, novam nunc inflammationem priori periculoſiorem inducendo. Recrudeſcens pulmonum inflammatio tunc præcipue timenda eſt, ſi pleuritis debite ſoluta non fuit, mitigata ſolum: contingere etenim videmus, quod 11. pleuritidis die ceſſante febre levis ſolum nonniſi in profunda inſpiratione percipiendus dolor perſtet, quem ægri negligunt, quoad reliqua, ut ipſis equidem videtur, ſaniſſimi; latens perſtat tunc inflammatio, leviſſima ex cauſa ſub ipſa Reconvaleſcentia recrudeſcens, quod ut præcaveatur, ad pleuritidis finem profunde ut inſpiret æger, in utrumque ſucceſſive ut decumbat latus, jubeatur; dolor, levis licet, an adhuc ſuperſit, moleſtia quædam an decubitu percipiatur, videri tunc clare poterit, ſic emollientibus ſub ipſo Reconvaleſcentiæ tempore minori licet doſi diutius pergendo, & recidivæ, & latentis pleuritidis naturam ſimul præcavemus.

Quodſi inflammatoria febris complicata fuerit, id eſt alia cum febre unita, convaleſcentiam quoque variare clarum eſt: tunc dicta hucusque convaleſcentiæ tempore ſolum non ſufficiunt, ſed febris quoque ratio methodo pro varia febre varia inferius explicanda haberi debet; longius tunc excurret convaleſcentia, vix aliquot ſeptimanarum ſpatio terminanda majori cum recidivæ metu, cum ipſa roborantia fors febri ſimul complicatæ dicata novæ recrudeſcentiæ fomitem ponere facillime poſſunt.

§. V.

§. V.

Longam, tardamque convaleſcentiam febris pituitoſa habet. Laxos enim debiles, hypochondriacos, ſedentarios, victu farinaceo, pingui, terreſtri uſos, pueros, plebem infimam, infantes pultibus paſtos cum afficiat, & ſeptimanas etiam ante perfectam convaleſcentiam pertranſire continuo videmus; febris equidem tenaces incidere humores debuit, ſed tenacitatem reliquam ſuperare, debile roborare corpus, pituitæ generationem novam impedire, indicationes ſub hujus febris convaleſcentia ſunt. Primum equidem fit remediis ſolventibus hoc quoque tempore continuatis, dummodo doſis non excedat, ne dum pituitæ reliquias eluere e corpore conamur, inducta nimia debilitate virium reſtaurationem procraſtinemus: ſolventia ſalina nonniſi parciſſima hoc in morbi ſtadio indicantur, alvo ſolito duriori, tardiori locum habent, hæc enim ipſa utpote, quæ nimium per longum morbi decurſum ventriculi vires labefactarent, morbo quoque durante continuari ſemper non poſſunt, ſed alia longe ſolventia ex herbarum lacteſcentium ſubamararum claſſe materies medica ſuppeditat, quales ſunt gramen, taraxacon, cichoreum, ſonchus, ſenecio, lactuca, endivia &c.

His diutius protractis & robur quoque primis viis potu liquido, ſalino, enervatis, tum integro quoque corpori debet addi: Cort. peruv., elect. antifebrile P. P. hic primum locum tenent, omnia reliqua amara, vinoſa & corpus roborant, & pituitæ regenerationem præcavent. Pro ultimo quidem hoc fine ſola roborantia nunquam ſufficere experientia teſtatur, niſi debitum quoque diætæ re-

gimen acceſſerit; farinacea, carnes duræ, gelatinoſæ apprime vitanda ſunt; vegetabilia, olera præcipue copioſiora, carnes teneræ, panis biſcoctus vino intinctus, potus vinoſus, motu præcipue corporis accedente, potentiſſima & certiſſima pituitæ generandæ obſtacula ſunt.

Non omnis tamen linguæ ſordities tempore Reconvaleſcentiæ perſtans ſolventia, vacuantia requirit, viis enim primis licet probe mundatis, manet tamen lingua ſordibus obducta, os mucoſum; ſi per dies, per ſeptimanas tunc ſollicitetur alvus ſcopo evacuante pituitam vel aliam ſaburram, tantum abeſt, ut lingua & oris emendetur conditio, ut & plus indies increſcat viribus ventriculi perverſa hac cura continuo magis fractis, enervatisque: juvant hic roborantia, ſtomachica, vinoſa, invigorantia, lingua licet ſordida perſtante, cum hoc ſymptoma diutiſſime perſtans nonniſi primarum viarum reſtituto tono diſpareat.

Cautiori manu hæc eadem roborantia locum habent, ſi pituitoſa febris, quod vernali præcipue tempore fit, inflammationis habuerit notam; ne, dum pituitæ generationem impedire conamur, inflammationem de novo ſuſcitemus.

Poſt peripneumoniam notham, veram pituitoſam febrim cum topica pulmonum affectione roborantibus curare non poſſumus; diuturna enim tuſſi pulmo hinc debilitatur plurimum; pituita licet inciſa, licet ex corpore perfecte eliminata, tuſſis perſtat, ſputa pituitoſa, mucoſa, aquoſa pergunt, ſolventia hic ſputorum materiam ſuppeditant, continuato ad pulmones affluxu hoc viſcus

mi-

mirum quantum debilitant, & exhausto sic per sputa copiosissima corpore, acrioribus redditis humoribus, hectica inducta febri phthisin spuriam pituitosam inducunt, quam datis sub convalescentia mature roborantibus ex lichene, ex Cort. peruv. primo quidem una cum solventibus, feliciter præcavemus, quæ si nondum suffecerint ad quietem pulmonibus conciliandam, paregoricum vespertinum, quam maxime conveniet: his remediis simul sumptis tussis & sputa minui plerumque solent, eoque certius, si roborantibus, uti decocto lichenis, per diem gr. 1. Tartari emetici addatur, ut levi sic, sed continua excitata nausea, humorum affluxu ad ventriculum utpote locum irritatum aucto, minor fiat ad pulmones, quibus ergo otium conceditur, ut sub continuato roborantium vulnerariorum usu firmentur, eisque sic debitus iterum tonus restituatur.

Pituitosam febrim in intermittentem fausto omine pertransire observata medica docent, febris enim pituitosa remittens cum sit, imminuto stimulo, parciori materia per bonam methodum adhibitam reddita, intermittens fit; paroxysmus tunc rarius rediens debite tractatam fuisse febrim, summamque, quæ remittentes inter- & intermittentes febres intercedit, cognationem indicat, hæc intermittens febris novus licet morbus prioris tamen quasi convalescentia considerari potest, cum roborantibus aut Cortice dato suppressa hac febre, pituitosa iterum redeat: solventia salina pituitæ reliquias curant, & febrim intermittentem naturæ bonitate ortam sensim, & sensim subflaminant, ut tunc primo roborantibus, Cortici locus sine periculo detur.

§. VI.

Febris bilioſa ſimplex nulla perverſa methodo exaſperata die communiter 14to terminata convaleſcere nunc ægrum permittit & ſeptima quoque die, quin & citius cum febris ſæpe ſolvatur, maturius etiam convaleſcentiam ordiri licet: ſcilicet jugulata per emetocatharſin febre æger qualibet nocte ſudat cum levamine, altera die febris manet expers, circa noctem vix obſervanda acceſſio eſt, quam ſudor nocturnus levans blandus excipit, quem convaleſcentia ſequitur. Sudores hi nocturni toto convaleſcentiæ tempore in hominibus potiſſimum laxioribus obſervantur: copioſi ſi fuerint, & convaleſcentes, & ipſos quoque Medicos anxios reddunt, ac ſi ſudores eſſent colliquativi, quo tamen metu jure caremus, ſi indies minuantur, ſi vires redeant. Aſt ſi æger fractus fuerit methodo medendi mala, ſi evacuationes ſanguinis intempeſtive fuerint factæ, ſi ſudores hi ab initio boni diutius durent, & cum virium quidem detrimento, ſi præterea ſudores hi uſu juſculorum tepidorum, & potuum theatorum foveantur, tunc augentur certo, & non per dies ſolum, ſed ſeptimanas uſque perſtant, ut in conſuetudinem abeant, convaleſcentiam ſic prolongant, ne vires recuperet æger prohibent, & ut indies magis emacietur faciunt, verosque colliquativos ſudores tunc referunt.

Sudores hi nocturni colliquativi ab alia ſudoris colliquativi ſpecie, ut probe diſtinguantur, oportet, ea ſcilicet, qua laborant illi, qui fomitem purulentum alicubi concluſum habent, veſperi tunc

ac-

accedens febrilis hectica adest exacerbatio, noctu vehementer cum virium jactura sudant, mane debiles surgunt, interdiu vires aliquantum redeunt, novo febris accessu novis iterum nocturnis sudoribus colliquandæ. Priorum sudorum colliquantium speciem malæ plerumque sub convalescentia curæ adscribi debere is plane perspiciet, qui consideret, mulierculas convalescentium vires continua jusculorum tepidorum sorbillatione velle restituere, ubi e contrario diæta paulo siccior leviſſime vinosa, amarescens, stomachica esset quam indicatissima. Perversa autem, quæ communis est, cura, aquosis tepidisque diu noctuque ingestis, maceratur debilis ventriculus, vires cæteroquin recursuræ prohibentur, moventur de die in diem sudores, magis tandem emaciatur æger, vires corruunt, & ad optatam sub usu jusculorum sanitatem nequaquam pervenit, sed sudores hi nocturni potius fiunt colliquativi, colliquant, destruunt sanitatem superstitem.

Nunquam autem tantum hic adest periculi, ac in sudoribus colliquativis a fomite purulento clauso ortis; post febrim enim bilioſam superstites sudores admittunt curam, quam semper a fomite purulento orti respuunt, morte solum terminandi. Conveniunt in nostro casu Cort. Peruv., amara, Balsamica, Salviæ præcipue infusum vinosum ab *Illustrissimo Præside* commendatum, & equitatio *Sydenhamo* adeo laudata, qua Phthisicos, ut ait, vix non conclamatos perfecte restituit. Emaciati Phthisici ex hac specie evacuationis curantur equitatione, si enim attente quis perlegat morbos, ubi sudores colliquativi aderant, & in quorum cura laudabatur a *Sydenhamo*, brevi perspiciet, su-

dores hos ex debilitate, laxitate, non ex fomite purulento clauſo proveniſſe, in omni enim empyemate motus factus mortem accelerat, ſuppurationem reſorptionemque puris intra maſſam ſanguinis, & febrim mirum quantum augendo.

Sublata biliosa febre ſanum, ſi antea & robuſtum corpus fuerit, ſub apta diæta ſponte ſua convaleſcit, vegetabilis enim primo adhuc diæta, dein ex tenerioribus carnibus cum ſucco Citri, bubula præcipue diu evitata, vinoſorum quoque uſu ex ſua propria & domeſtica penu ſufficientem habent vim, ut deperditas vires brevi reſtituant; hoc in ſtatu aut ſuperflua eſſet cura roborans, & ſtomachica, aut etiam ſi properanter agamus, nociva, cum pejus ſe inde habere, quin & de novo febricitare incipiant ægri, cum levior etiam ſtimulus diutius applicatus tali in corpore noceat.

Alia longe cura opus eſt, ſi æger, qui ex bilioſa febre decubuit, fuerit debilior laxior, valetudinarius litteratus, puella debilis, puer, aut ſi morbus fuerit difficilior longiorque, ſi fors methodus medendi evacuans diutius fuerit protracta, ſi paſſus ſit evacuationes ſanguineas, vel quæcunque demum alia acceſſerit ratio debilitans, roborantibus tunc opus eſt ac ſtomachicis; inter communiora venit Elix. temperatum omnibus aliis Elixiriis, utpote Spiritu Vini factis, longe præferendum, utpote, quod vino Tokaino grato, generoſo paratum vires ventriculi erigit ſpirituoſo potu potius deiiciendas, cum ſtimulus ſpirituoſus nimium irritando fibras debilitatem dein inducat, pro qua debellanda primo dabatur; vinum abſynthia-

cum

cum non minores meretur laudes & amaram roborantem, & tonicam vini vim includens; Extracta omnia amara, uti Fumariæ, Trifolii, Fibrini, Centaurii minoris, Cardui Benedicti vino grato digesta, Syrup. Cinamom. vel Cort. Aurant. addito apprime indicantur, hæc sequuntur Cort. Peruvian., Ferrum ipsum varia forma, Essentiæ dictæ amaræ, Liquor visceralis, Essentia Absynthii, Gentianæ &c.

Sed & alvum interim servare apertam convenit, ni novam saburræ generationem, nonnunquam febrim priori periculosiorem expectare velimus; hunc in scopum merito laudatur tinctura rhei aquosa ad cochlearia tria quatuor per diem data cum menthæ, aut ipsa tinctura aquosa menthæ extracta, vel Elixirium stomachicum ad Unc. ij. cum Unc. sem. liquoris Terræ Fol. Tartari, alvum hoc tempore tardiorem enematibus servare apertam conducit.

Non remediorum solum, sed & ciborum habendus selectus est; cibo vegetabili primo ex fructibus horræis, oleribus gratis; Cerealia facilis digestionis, uti Oryza pauxillo Cinamomi addito, carnes dein teneræ pullinæ, vitulinæ, cancrorum, testudinum, vinum rubrum gratum cum pane biscocto, equitatio, rusticatio præcipua huc pertinentia constituant. In sequiori præcipue sexu roborantibus hic opus est, cum alias in morbos longos, languores & debilitates chronicas incidant, quin & catamenia sæpe inordinata continuo pergunt, eo quod tempore reconvalescentiæ minus caute tractatæ fuerint.

Tardior ac in inflammatoria, citior vero ac in pituitosa febre biliosæ convalescentia est, relapsus autem, quam in utraque facilior, ad 14 dies ad 3 septimanas, quin & plures producitur, citius tamen vires recuperant cæteris paribus, quam qui ex pituitoso morbo decubuerunt, si nempe par fuerit harum febrium vis & intensio. Relapsum facilem in febrim biliosam ex eo pendere crediderim, quod factis in cura febris evacuationibus aucto appetitu plus justo gulæ indulgeant ægri, quam debilissimæ ventriculi vires perferre aptæ sint; inde novus novæ febris fomes colligitur, nisi ejus incrementum parca diæta, tinctura rhei, aut remedio salino statim dato accumulari, augerique prohibeatur.

Quod si biliosa febris metastasi quadam fuerit terminata purgatis primis viis, sub aperientium & eccoproticorum usu ipsa quoque vesicantia locum habent, illorum enim neglecto usu alvo & urina, (quibus evacuationibus hac in febre carere non possumus) suppressis, materia ad superficiem corporis delata, ut sudore difletur cantharidum vi pulsa, nova febris, aut biliosa, aut pejor putrido-inflammatoria nascetur.

Prophylaxin certam contra biliosas febres in diæta refrigerante vegetabili, fructibus horræis copiosis diu ingestis toto nempe biliosо tempore plerumque quærere homines videmus, falsa fors inducta hypothesi, qua solum victum carneum, lautum, vinosum bilem exasperare, febrimque producere autumabant; ast si rejectis hypothesibus observatio certa, & hac quidem in re multiplex consulatur, non nobiles, non cives, qui victu carneo,

diæta

diæta vinosa utuntur, sed rusticos potius, qui per totum annum pauciſſimis diebus vescuntur carnibus, hoc morbo tentari constat. Illos e contra præcipue febri biliosa tentari videmus, qui caloribus æstivis uruntur, qui meridiano sub sole multum agitantur sudoribus; his enim quasi diffluentes sæpe perfrigerantur, perspirabilis humor, causticus, acer repercussus ad debilitatas calore æstatis primas vias, utpote colatorium post cutim maximum recurrit, & humorem nobis biliosum, biliformem dictum, febris biliosæ causam constituit.

Ast ne quis exinde inferat velim victum carneum, diætam vinosam prohibere biliosam febrim; id solum asserо, solam hanc diætam morbos biliosos non invitare, quin immo nulli essem Autor, ut omni vino & carne æstatis tempore abstineat, sed felicem potius diætæ vegetabilis, & carneæ vinosæque faciat miscelam; qui enim solum diæta vegetabili usus fuerit, languidiorem habebit ventriculum; qui vinoso & carneo solum victu utitur, facile ingluviei vitia committit, ut mediam ergo tenere hoc in casu tutiſſimum sit; observasse solum sufficiat, diætam solam vegetabilem non avertere morbos biliosos, solam diætam carneam eos non invitare, illam esse diætam optimam, cui quis assueverit; ut ergo tota Prophylaxis hac contineatur regula: Post vitatum corporis sudantis refrigerium repentinum tempore biliosо multum quoque esse præsidii ad hanc febrim arcendam in usu fructuum horræorum, acescentium, saponaceorum, eccoproticorum, & evitatione colluviei cujuscunque primarum viarum.

§. VII.

Ex omnibus dictis febribus tardissima post febrim putridam convalescentia est; nulla enim febris vires vitales adeo immediate afficit, ac putrida; sola in hac stimulantibus erigentibus jam ipso morbi sub decursu opus est, morbo tandem superato summam superesse virium jacturam evidenter patet.

Ex putrida convalescentes soli medicatrici naturæ vi committere consultum non foret, quod equidem post inflammatorias febres impune fieri posse, antea vidimus, utpote post quas nec medico, nec medicamentis opus sit, vigore virium brevi sponte restituto: sed putrida exhaustos restaurare oportet remediis invigorantibus, aromaticis; non iisdem tamen semper, sed variis pro symptomatibus variis.

Præcipua horum sunt febricula vespertina nocturna, nocturni sudores largi, subdelirium vespertinum, nocturnumque, fatuitas, temulentia continua, deliquia animi erecto corpore, linguæ conditio præternaturalis, ejus sordities, tumores pedum, crurumque, ciborum desiderium inexplebile, Hysteria, & Hypochondriasis nervosa; in fœminis menstrua anomala, tarda, parca, nulla, cacochymia chlorotica, ventriculi diuturna læsio.

Circa singula hæc symptomata quid peculiariter observandum sit, videre restat. Febricula vespertina nocturna in convalescentibus adest, post paucos plerumque dies cessans; plus enim equi-

dem

dem metus, quam periculi hæc febricula habet, cum ipsa, & subsequentes sudores crisim absolvant plenarie ipso sub febris decursu inchoatam: aliud longe est, si sudores hi nocturni in septimanas protraherentur, si essent subito profusiores; tunc enim vere colloquativi sunt, non morbosæ solum materiæ reliquias, sed bonos simul humores educunt: frequentius adhuc hoc contingere observamus, si reconvalescentes copiosioribus continuo stragulis obruantur, retento enim sic stragulis perspirabili corpus per se debile balneo proprii vaporis immersum laxatis ubique poris ingentem sudorum copiam facit profluere. Hos colliquativos esse sudores, quos equitatione curavit *Sydenhamus*, superius innui.

Ast non una semper febriculæ hujus causa est, non raro enim repletio ventriculi major ob stimulum vasis applicatum per copiosiorem chylum febriculam excitat, purgatione rhabarbarina mature data certo sufflaminandam; & saburra sic colligi incipiente expulsa, & robore simul primis viis addito, ut non tam facile paulo largiori cibo graventur.

Delirium & fatuitas haud rarum adeo ex putrida convalescentium symptoma est, in fœminis præsertim hystericis laxis, viris hypochondriacis debilibus blandum hoc delirium non furiosum est, delirantes convalescunt, obambulant; *Sydenhamus* hoc de delirio agens monet, ne medicinam hic faciamus eam, quam facere solemus delirantibus, tempore id curari asserit, diæta restaurante, remediis invigorantibus; ab exhaustis enim, & vappidis ut ita dicam, spiritibus, a spirituum ner-

veo-

veorum atonia, ut *Sydenhami* phrasi utar, ortum hoc videtur esse delirium; vinum Budense omni bihorio ad 2 cochlearia datum plerumque sufficit, reliquum tempori, & diætæ bonæ solæ committendum.

Ne autem hoc delirium cum delirio febrili confundatur, sedulo cavendum; videlicet si febricula vespertina, & levis humorum adest commotio, vel vesperi & noctu solum, vel & interdiu delirent: febre cessante, & delirium hocce evanescit, cum illud ex debilitate nervorum ortum nonnisi convalescente sensim ægro convalescat.

Temulentia & deliquium animi erecto corpore frequens in putridarum convalescentia debilitatis signum est: nulla ratione neque sedendo quidem primo extra lectum perdurare valent, ebrii instar vacillant pedes, vacillat pavimentum, deliquium supervenit animi, tolluntur omnia cubante ægro. Universim enim sub ipsa febre putrida nimium jam protracta situm erectum amplius ferre nequeunt, musculorum robore nimium fracto, vestibus tunc indutos supra lectum decumbere ægros si jubeamus, & molesta hæc evitamus symptomata, & debilitatem corporis sub stragulis necessario augendam impedimus.

Linguæ conditio præternaturalis non omni quidem in convalescente adest, cum pura sæpe lingua convalescentium sit; etsi haud raro contingat, ut gluten quoddam, & quædam sordes ex albo flavescentes toto tempore convalescentiæ observentur, viribus licet jam firmatis; saburram hanc, ut equidem credunt inexperti, evacuantibus,

bus, purgantibus rhabarbarinis, etiam emesi, equidem evacuare conantur, ast incassum, cum sub evacuantium usu pejor fiat linguæ sordities, resumptis tantum vitæ viribus, ventriculi robore restaurato linguæ sordes evanescunt. Nam prout debilior fit homo per evacuationes, prout per continuas sollicitationes gastricas, sive ab emesi, sive à purgantibus, major fit nisus ad systema gastricum ventriculum nempe, intestina, œsophagum, fauces; ita etiam lingua sordida magis fit, quam ejus conditionem pauxillum vini, roborantia emendare supra quoque jam monitum fuit.

Tumores pedum & crurum post omnem quidem febrilem morbum, post putridam autem præcipue febrem relinquuntur, præsertim ubi ambulare homo deberet; obambulare tunc renuunt, sed decumbere continuo desiderant, ut tumor crurum evanescat, licet obambulatio, & exercitium corporis viribus accommodatum quam maxime conducant, eoque magis, si frictio partium tumentium fumis roborantibus ex mastiche, olibano, sandaraca, ligno juniperi simul accedat. Tumorem hunc exercitio primo crescentem nullum tamen afferre periculum, monendi sunt ægri, cum eo continuato paucos intra dies pedes detumescant, omnisque tumor plane dispareat; contrarium obtinet, si ejusmodi convalescentes crurum fors tumentium metu tota die decumbant, aquosus tunc ille latex pedes occupans ad pulmones, encephalon subito defertur, hac ex metastasi ad partem quamdam ad vitam necessariam facta cæterum saniſſimi restauratis plane viribus subito pereunt.

Desi-

Desiderium ciborum inexplebile, quasi fames canina adesset, per primos plerumque 14 dies, quin & longius, ægrum excruciat: hoc anorexia sæpe excipit ob novam saburram, cum gulæ plerumque plus indulgeant, collectam, rhabarbarinum purgans incipientem de novo febrim saburralem suis in incunabulis jugulat.

Inexplebili illi ciborum desiderio, ut satisfiat, cibis opus est non duris, consistentibus, sed mollibus facilis digestionis, parva simul dosi, sed repetitis vicibus dandis: tales sunt oryza cum pauxillo cinamomi, vinum gratum tokainum, pane biscocto intincto, chocolata cum lacte parata, vasculum potus coffee cum lacte quater quinquies per diem; pro remedio inservit infusum Cort. peruv. frigidum cum lactis recentis tertia parte & saccharo, aut potus coffee cum portione quadam corticis addita & lacte.

Manu ergo mittendus æger haud est, quamdiu insatiabilis ille appetitus adest; nisi enim naturalis appetitus antea redierit, facillimæ recidivæ expositus æger perstat.

Hysteria & Hypochondriasis nervosa, in illis præcipue, qui nervos magis irritabiles habent, hoc inprimis tempore, ubi nervorum major debilitas, occurrit. Mirum hoc symptoma est, a quacunque re summe afficiuntur, a janua solum aperta vix non irascuntur summopere, aut timent plurimum, aut palpitationes cordis accipiunt continuas, celerrimas, vix numerandas pulsuum micationes, urinas spasticas emittunt maxima quantitate; terrificis hic potius, quam periculosis symptomatibus

opem

opem fert infusum Cort. peruvian. grato quodam Syrupo Cinamom., menthæ addito, amara alia quæcunque & invigorantia.

Diuturna ventriculi læsio in convalescentia ex febre putrida saburrali evacuantibus non sufficienter curata observatur, a tempore, quo convaluere, bradipepsia laborant, variasque alias ventriculi læsi functiones conqueruntur. Tarda difficilisque tunc est convalescentia, tempore, roborantibus, & alvo interim continuo aperta servata vix, nisi sensim & sensim absolvenda. Ast haud rara adeo observatio est, diuturnas ventriculi læsiones ab exantlatis intermittentibus ortas febre putrida superveniente omni remedio potentius curari.

Et maximi quoque momenti observatio circa fœminas est, ne videlicet ex putrida convalescentes statim dimittantur, antequam binis saltem vicibus menstrua regulariter rediisse constat; plerumque enim post morbos putridos anomala, aut parca, aut aquosa, aut nulla fiunt catamenia; vix enim invenire est fœminam menstruorum suppressione laborantem, quæ non initium suæ ægritudinis a convalescentia ex morbo prægresso ordiatur; nisi ergo stato tempore sub convalescentia menses redeant, remediis indicatis statim erit occurrendum; bis redire debere menstrua, antequam fœmina e morbo putrido convalescens manumitti possit, innuimus; cum, si semel solum redierint, incertum sit, utrum non febrili fors adhuc perstante impetu extra debitum ordinem apparuerint.

Gene-

Generalia contra multiplices hos morbos putridæ febris effectus remedia petuntur ex amaris, rhabarbarinis dosi exigua propinatis, felles animalium inspissati pillul. forma dati, vina rubra austera modice pota, victus restaurans, aromaticus parcus, sed frequenter propinatus, frictiones crurum siccæ aromaticæ, vectio curru, equitatio, rusticatio scopo diætetico egregie inserviunt. Equitationem omnem alteri exercitii generi ad præcavendos sudores esse præferendam, in se ipso expertus narrat *Celeber. Professor Stoll;* qui, ex febre putrida gravissima convalescens, si curru veheretur, de nocte, quasi corpus non exercuisset, sudore profuso debilitabatur, dum e contra equitaret, primum notabiliter imminuto nocturno sudore, brevi plane evanescente convalescebat.

Et Prophylaxis adversus febrim putridam & reconvalescentium, & sanorum sanitatem securiorem cum reddat, quæ circa hanc vera, quæ hypothetica sint, videamus.

In fuga contactus ægri putrida laborantis Prophylaxin non haberi, experientia discimus; cum accedere decumbentes, horum explorare pulsum, exanthemata, tactu distinguere sine noxa soleant medici: ex præjudicio ergo potius, quam sedula observatione eos agere clarum fit, qui impune quidem ægros tales accedere, sed non attingere audent, ita, ut pulsum vel non tangant, vel admotam manum celerrime removeant, quasi omnes medici, qui putrida decumbentibus medicinam faciunt inevitabili quadam necessitate decumbere putrida deberent.

Nec

Nec arbitrarie minus ii videntur agere, qui alexipharmacorum, masticatorum usu a putrida se præmunire autumant, falsa ducti opinione, febris putridæ miasma cum saliva deglutiri, ei adhærere, sicque deferri ad ventriculum, exinde in massam humorum resorptum febrim putridam causare; salivam hinc itentidem radice quadam acri aromatica masticata eliciunt, collectam exspuunt, quamdiu apud ægros versantur. Alii interim alexipharmacis sumptis sudores copiosos proliciunt, miasmatis, ut ajunt, expellendi gratia, cum tamen febris putridæ varia conditio causaque varia miasma excludat, & salivam deglutitam ab omni culpa perfecte absolvat.

Alii grassante febre putrida aut purgatione, aut emesi, aut phlebotomia febrem epidemicam evitare conantur, prouti nempe aut in circulo humorum putridæ sedem ponunt, prout hanc vel aliam mali putridi ideam, vel hypothesin quis sibi formaverit, vel omni 8va vel 14ta die purgante rhabarbarino, aliove, aut emetico etiam repetito primas depurgare vias, vel prophylacticis institutis venæsection. metum putridæ averruncare satagunt; cum tamen hæc ipsissima remedia aut directe noceant, aut saltem non prosint, nisi is fuerit rerum status, ut emesis, aut purgatio, aut phlebotomia sit indicata: si enim regnante epidemia febris putridæ saburra quis laboret, auspicato subvertet ventriculum, in eruditate intestinorum feliciter utetur purgante, in præsente plethora aut diathesi phlogistica indicatissime secabit venam ob malum solum præsens, non futuri metum.

Remedium enim prophylacticum ſtricte dictum adverſus febres putridas non modo non exiſtit, ſed & repugnat, cum diverſæ febri putridæ idem applicari remedium non poſſit; cautelis ſolum variis licet uti, quæ ad ſequentia capita reduci ſat facile poterunt.

1) Vitæ genus conſuetum neque in melius repente mutandum: hac neglecta regula epidemiæ putridæ tempore multos Medicos præcipue & ſacerdotes perire videmus, qui alexipharmaci inſtar fortiori copioſiorique utuntur potu vinoſo, ſic morbum invitant, plus ſubito ſtimulato corpore. Corpus enim ad morbum putridum jam diſpoſitum repentinam illam mutationem in melius licet factam ægrius fert, turbatur inde, & morbo regnanti ſuſcipiendo aptius redditur. Tempore nimirum epidemico omnes homines plus minuſve ad morbum ſuſcipiendum diſpolitos obſervare eſt, utpote cum ſi modo cauſa excitans, qualiscunque demum illa ſit, acceſſerit, facillime eodem ipſo morbo regnante corripiantur; ſimile quid ſaniſſimo licet tempore in nutricibus ruſticanis eſt videre, quæ in nobiliorum domus vocatæ ex lauto victu in morbos inflammatorios incidunt, ut ergo morboſa conſtitutione præſente faciliorem adhuc in pejus mutationem ex mutato ſubito vitæ genere oriri debere conſtet.

2) Aëre libero frequentius uti oportet, non diu in ægrorum cubiculis morandum, ea non ingredi niſi prius ubique aperta, & perflata fuerint, ſolus hic liberi aëris acceſſus unicum, idque optimum, ſi exiſtat, adverſus febres putridas prophylacticum conſtituit remedium, feneſtris enim & portis

tis antea apertis mutato sic aëre, cubiculis accenso ligno juniperi, aut alio simili perlustratis Medicus ægros suos si accesserit, vix quod timeat, habet, dummodo non per horas continuas medios inter ægros versetur; sed magnum si Nosocomion habeat, ægros suos dividat, ut diverso tempore illos accedat, animo interim libero aëre, aut equitatione, ad *Huxhami* imitationem, si caput grave & vertiginosum fuerit, recreato. Primis enim temporibus, quam difficulter quis aërem nosocomiorum ferat, ex eo licet conjicere, quod Medici, ac Chirurgi, dum nosocomiorum curam suscipiunt, gravi plerumque eoque putrido morbo corripiantur.

3) In scopum prophylacticum cruditatem, errores diætæ quam maxime evitare interest, non enim nisi his commissis plerumque febrim putridam supervenire observamus, quarum putrida saburralis cum frequentissima sit, hanc cruditate, ut ita dicam, invitari pronum sit colligere.

4) Perspirabilis suppressio cane pejus & angue evitanda est, cum ex ea biliosas, & hoc ipso putridas saburrales ortum habere posse, supra ostensum fuerit.

5) Metum contagii deponere pro prophylaxi multum omnino confert. Indirecte enim solum morbos putridos propagare contagium is facile viderit, qui evidens contagium varioloſum, scabioſum, morbilloſum, venereum inter, & illud febris putridæ discrimen observaverit, utpote in qua morbus non halitu, non attactu, uti in prioribus propagatur, sed aëre corrupto inspirato in loco,

ubi plures ex putrida decumbunt; hic pulmonibus & ore hauſtus ad putridas plerumque ſaburrales naturali plane ratione diſponit; ſi nunc cum metu contagii & infectionis ægrum accedam, hic ipſe timor facit, ut facilius contraham morbum putridum, cum cauſa morbifica univerſalis facilius in tale corpus anxium triſte, ubi inhalatio major, debilitas virium notabilior eſt, neceſſario agat: metum præterea primas vias quam plurimum afficere, anorexia, quæ illum ſequitur, cruditates, quæ ſic contrahuntur, aperte demonſtrant, ut ſola hac ex cauſa febrem putridam accedere poſſe in confeſſo ſit.

6) Neque tamen ex his inferas velim ad primum laſſitudinis, vertiginis, cephalalgiæ, anorexiæ, horripilationis initium ad magna ſtatim & hæroica remedia te debere confugere. Practicus hic error Medicis familiaris, qui ad leve malum apparens & phlebotomias, & purgationes, & emeſes inſtituunt, multos e medio ſuſtulit, quos diæta tenuis, quies, vacatio a curis, aër ſerenus, liber, campeſtris, limonada, cremor tartari in potu theato ſumptus, clyſma leve certo ſervaſſent.

§. VIII.

Febris intermittens & tædioſam perſæpe curam, & recidivam omnino habet facillimam, quam ad evitandam varia methodo, varia doſi Cort. peruvian. fugata ſemel febre utuntur Medici; ſunt qui profligato ſemel paroxyſmo dimidiatam dant doſin ita, ut ſi durante febre unciam ſumpſit per nyctemerum æger, nunc aſſumat unc. ſemis, ſic

per-

pergendo per 14 dies: sunt qui eadem ac antea dosi per septimanam continuant, sequente septimana ab usu Cort. desistunt, tertia septimana vel ad dimidiam dosin reassumendi, sicque in 4. 5. 8. septimanas usque tædiosa ac dispendiosa methodo pergunt, tunc solum necessaria, ubi character febrilis alte nervis insedit, & consuetudo febricitandi a multis antea habitis paroxysmis vix sit eradicanda; præcipue si anni tempus valde in febres proclive sit: tunc enim si extra teli jactum, & recidivæ metum esse velis, toto tempore epidemiæ grassantis febris cortex requiritur, ut ejus vi totus sanguis imbuatur, idem quoque esto judicium de febribus endemicis. Vernalium recidivæ leviores sunt, & si fiant, in continuas remittentes abeunt; autumnales frequentius recidivas patiuntur, præsertim quartanæ exquisitissimæ semper eadem hora redeuntes, quas facile fert æger, ut & illæ, quæ cortice fuere curatæ, præsertim si sub ejus usu alvus aperta servata haud fuerit.

Sydenhamus octava die ab ultima assumpti corticis dosi iterum unciam partitis vicibus ingerendam suadet, immo & sæpius post idem semper temporis intervallum *Tissot* fugata febre dimidiam dosin corticis pro febre sufflaminanda requisiti, 6 diebus intercalaribus semper interpositis, & sæpius id repetendo in senibus præcipue tempore humido & frigido suadet. Inter remedia ad recidivam febrium endemicarum præcavendam certissima, & mutationem climatis recenset *Sydenhamus*, ut sic alia inducta corpori alio in climate dispositione character febrilis fors adhuc impressus hærens facilius certiusque deleatur.

Quæstio agitur, utrum sub convalescentia ex intermittente uti liceat purgante, cum vulgus hoc corticem e corpore eliminare velit; hoc equidem scopo datum evacuans, præcipue si cessante febre usus corticis per 14 dies, per 3 septimanas & ultra continuatus non fuerit, certo febris redibit: quodsi autem sub convalescentia saburra fuerit orta sursum, vel deorsum turgens, aut inflammatorii quid in subjecto juvenili, diæta fors lautiori, largiori, vix cortice uso, propinatum emeticum, purgans, celebrata v. s. febrem non revocabit. Etenim vero felicem se reputare posset medicus, si suffocatam febrem pro lubitu sciret revocare, sic enim morbos chronicos curam hactenus respuentes orto febrili motu morbo præsenti accommodato certius profligaret. Purgans remedium post autumnales adeo necessarium esse experientia sola fretus *Sydenhamus* asserit, ut ex eo neglecto morbum gravem superventurum esse sano etiam quoad reliqua homini prædicere non dubitaverit.

Mirum hic cuilibet videri posset, quomodo noto hodie contra febres intermittentes specifico recidivas tamen tam frequentes deprehendere sit; at sedulo si quis perpenderit, ipsum remedium specificum, cur minus febris causa excitans investigetur, in causa esse, ut sic de nulla alia febrim curandi methodo solliciti corticem solum propinemus, materia fors nondum cocta, facile pervidebit, mirum adhuc esse, cur non plures continuo recidivas invenire sit.

In cura convalescentium ex febre intermittente perspirationis præcipua ratio habenda est, hac enim neglecta a recidivæ metu nunquam liber eris;

inde

inde eſt, quod in Noſocomiis convaleſcentes levibus tecti veſtibus, ſi veſperi per ambulacra obambulent, auræ frigidæ ſe exponentes in recidivas incidant, ſæpe in febrem quamdam erraticam, ſaltem in diſpoſitionem quamdam febriculoſam, quæ in plenam eamque manifeſtam febrem erumpit, omiſſo poſt aliquot dies cortice.

Ex hucusque dictis patet, haud omni ratione deſtitui vulgi opinionem, qua hominem pontem quemdam tranſcedentum recidivam pati credunt, cum frigus aquæ perſpirabili ſuppreſſo revocare febrim facillime poſſit.

Toto autem convaleſcentiæ tempore dies inprimis illi ſedulo attendendi ſunt, quibus cæterum paroxyſmus ſolebat recurrere, ſi enim recidivantium conſiderentur hiſtoriæ, patet recidivæ diem fere ſemper incidere in diem febris, ſi tamdiu continuaſſet; quia nempe character febrilis nervis fortiter impreſſus illo præcipue tempore ſe manifeſtat, quo cæterum aucto ſtimulo in febrem usque erupit.

Poſt febres intermittentes diuturniores ægri multum debilitati deprehenduntur, his amaricantia, leviter roborantia, victus analepticus ex jure carnium, ovis recentibus, carnibus juniorum animalium aſſatis, piſcibus tenerioribus aſſis, ſucco citri, vel aurantiorum reſperſis conveniunt, panis bene fermentatus, vel & biſcoctus vino auſtero madidus, potus parcus, ſed meracus apprime ſuadenda ſunt; ubi autem modo nominatorum uſu debitum robur non rediret, vinum ex Cort. peruvian. limatura martis paratum conducit: quibus

vinosa displicent pillul. ex limatura martis, aut ejus extracto pomato, cum extracto Cort. peruvian., mastiche multum commendantur. Post febres autumnales præcipue debita bonæ bilis copia deficit, hinc roborantibus addenda sunt amara, uti absynthium, centaurium minus, radix helenii, gentianæ, myrrha, ex quibus cum cinamomo vina medicata facile parantur, quorum unciæ 2—3 ter de die vacuo ventriculo sunt ingerendæ; quod si spirituosa non ferant ægri, elixirium stomachicum temperatum, extracta amara vino soluta indicatissimum habent locum, ubi præ inertia nullum fere ex chylopoëticis viscеribus suo fungebatur officio, frictiones jejuno homine per totum abdomen factæ pannis asperis laneis fumo styracis, benzoë, & succini penetratis optatum ponunt effectum.

§. IX.

Variolas benignas convalescentiæ stadium ad duas, tresve septimanas extendere variolarum docet historia, toto hoc tempore purgantia eccoprotica omni tertio aut quarto die exhibita, diæta pro maxima parte vegetabilis, aër serenus, rusticatio, corporis motus curam perfectissime absolvunt: purgantibus enim purulentam materiem varioloſam suppurationis tempore in massam sanguinis resorptam sensim sensimque sine turbis ejicimus, quæ in corpore retenta, eaque periculosa sæpe ad internas partes metastasi, aut subito vitam adimeret, aut lenta inducta pthysi ægrum e medio tolleret; diæta bona, motus, rusticatio morbo fractas vires resarcit, debitumque iterum corpori robur addit.

Quod

Quod si inoculatæ fuerint variolæ citius adhuc hoc convalescentiæ stadium finitum est, cum enim toto variolarum decursu vix perfecte ægrotent, cum continuo extra lectum sint, vires vix imminutas videmus, ut harum recuperandarum curæ invigilare vix opus sit. Hoc in casu binis ad summum purgantibus morbi stadiis perfecte terminatis, leviſſimi morbi effectus nunquam certe timendos præcavemus, ut statim post ad consuetam iterum diætam sensim possint redire.

Aliud vero longe obtinet, si variolæ mali moris prægressæ ipsam quoque convalescentiam periculosam eamque sæpe lethalem reddunt. Febris enim putrida purulenta 11. die morbi variolosi, ubi alias periculum evasit æger, oborta & 20. 24. primum die e medio tollit ægrum, ad aspectum jam dudum convalescentem, latens hoc periculum prudens pervidebit facile, prægressis mali moris variolis; febre hectica duplici sua exacerbatione facile noscenda, & appetitu nullo modo redeunte, lingua continuo sordida perstante, malo hoc prægresso summum imminet periculum; ingens fœtor puri varioloso proprius accedit; copiosissimum acidum vitrioli a drachma 6. ad unciam 1. usque per diem datum, aër frigidus ad gratam ægri sensationem mensurandus, antiseptica omnia alia vix orci faucibus eripiunt ægrum, quem evacuantia mature data, ne in tam grave incideret periculum, prohibuissent.

Quod si bona fortuna contigerit, periculum hoc evitare ægrum variolas malignas antea passum, & ipsos quoque harum effectus non minus sæpe lethales sedulo juvat avertere, omnique da-

to molimine percurare. Nullum enim tam peregrinum in re medica esse crediderim, quin tristia sæpius legerit, aut ipse viderit exempla hominum, qui aut phtysi, aut carie ossium, aut vomica alicubi latente, morbo jam exantlato perierint, aut amaurosi saltem, panno, maculisque oculi variis, ophtalmia, frequenti nonnisi venæsectionibus, clysmatibus, purgantibus antiphlogisticis & mollissimis colliriis curanda, anchylosi, paralysi, gangrænescentia variarum partium fuerint mutilati: multi alii auditu, loquela, visu privantur, fatui fiunt multi, aut memoria deficiunt, alii epilepsiam contrahunt, infantes plerumque atrophici fiunt, & post unum alterumve annum moriuntur. Aliis herpes, efflorescentiæ variæ, furunculi per universum corpus, fistulæ lacrymales remanent: hypopion plerumque post aliquot septimanas post mitissimas etiam variolas oritur, præcipue si æger purgantibus debito tempore usus haud fuerit; quibusdam coalescunt foramina narium, quidam ulceribus cacoëthicis, ossium carie, spina ventosa ad mortem usque non diu adeo emanentem affliguntur, quibus in casibus cicuta, flammula jovis, Extractum aconiti laudabiles quandoque exserunt effectus.

Varia hæc symptomata plus minusve periculosa, omnia peculiarem cum exigant tum externum, tum internum remediorum usum, hic pertractare amplum nimis foret, & a scopo, quem mihi proposui, nimis alienum; hinc annotasse sufficiat, bonam variolarum curam purgantia sufficienter data, satque largo continuato usu malorum horum avertere catervam; quæ si semel supervenerit, aut mali perpessi fœda stigmata supersunt,

aut

aut morte lenta, ea tamen, quam certissime e medio ægri tolluntur.

Morbo exantlato pustulas in crustas conversas oleo amygdalino illinire, emollire suadet *Sydenhamus*, licet hodie ab oleosis poros cutaneos obstruentibus satius abstineant Practici, sed vel vaporibus aquæ tepidæ, vel Decoctis emollient. pro lavamento adhibitis varia & arcana sæpe, uti volunt, ratione stigmata variolarum præcavere tentant, quæ confluentes si fuerint, evitari perfecte rarissime poterunt.

§. X.

Convalescentia post morbos chronicos diuturnos debilitatem totius corporis inducentes exactam rerum non naturalium dictarum observationem exigit. Cibos, quod spectat, non nimis debiles, non parcos nimis suadendos esse, jubet ratio, ne, qui morbum tam diuturnum tulit, diæta stricta plus ipso morbo jam debellato debilitetur: hoc adhuc non negligendum, quodsi morbus chronicus fuerit talis, qui paulo largiori cibo pejor redditur, uti in Phtysi fieri observamus, & in omnibus languoribus primarum viarum chronicis, Diarrhæis, Dysenteriis diurnis, parca omnino diæta cibis facillimæ digestionis parce, sed repetitis vicibus propinandis opus sit.

Cæterum haud scrupulose adeo ciborum delectu opus est, dummodo vitentur crassiores farinacei, pingues, aut tales, qui evidenti quadam qualitate nocere necessario debere noscuntur; in omni-

omnibus enim aliis licet haud ita selectis & ipsi consuetudini uti alias, & hic quoque multum erit deferendum.

Potum Coffee omnibus convalescentibus post morbos præcipue chronicos vulgus suadet, non attendendo ad chronicas hæmorrhoidum molestias, soli huic potui adscribendas, & menstruorum irregularium, dolorificorum vitia solo hoc potu neglecto feliciſſime sæpe evanescentia.

Libero frui aëre post morbos chronicos optimum æque recuperandarum virium affert adminiculum, quem si arceas, languebit diu æger, pallor, debilitas perstant, & cibis exquisitis licet vires incassum revocabis, cum etenim saniſſimos homines athletico habitu donatos diu in carceribus detentos pallidos totos, debiles exire videamus; quid non in convalescente inclusus aër causabit? Phtysicis præcipue libero aëre uti confert, ut puriorem continuo inspirent, non infectum cubiculi, in quo degunt, cum sic effluvia corrupta expulsa de novo corpori inoculentur inspirando. Asthmatici sub ipso jam Paroxysmo sponte natura motu quodam automatico pulsi fenestras aperiunt, ut liberum haurire aërem valeant, quo plus pulmo constrictus dilatetur, quam aëre impuro, humido cubiculi, in quo versantur. Rachiticos infantes aëre libero refici, in melius vergere, aëre incluso humido præcipue rachiticos fieri, Medicorum observatum est in vulgus etiam notum. Hystericas feminas, viros hypochondriacos in plurium concursu, in templo tot hominum effluviis fœto, paroxysmo vix non semper corripiuntur. Convulsos omnes in liberum extrahere aërem juvat, si

le-

leviores convulsiones, si citiorem harum finem quis desideret.

Rusticatione, quæ aëris imprimis boni, renovati, puri beneficio fruitur, hystericas sæpe plenarie restitutas observamus; sed & morbos chronicos observare est, ubi accessus liberi paulo frigidioris aëris, quam maxime vitandus est; sic arthritis levi aëris accessu recidivam patitur, & aliquot septimanarum, quin & mensium curam momento pessumdat.

Motus corporis in convalescentia post morbos chronicos primum quasi tenere locum nemo dubitaverit, qui fractum morbo longo corpus hoc remedii genere sensim firmari, robustius reddi viderit; sed primo id exercitii genus suadendum, quod absque ullo virium dispendio, subjecto tanquam passivo se habente instituitur, uti sunt frictio, navigatio, vectio in rheda per strata primo æqualia; sic æquabiliter & leviter corpus concutitur in aëre libero per ipsum motum continuo renovato: primo quidem semihoram motus talis vix excedat, usque dum equitatio, & ambulatio, & lusus varii motu corporis indigentes in usum trahi possunt, citius longe notabiliusque hoc exercitii genere, quam sola vectione redire vires, experientia testatur, cum musculi hic plus agant, indeque roborari magis continuo debeant.

Motum corporis chloroticis apprime necessarium & curæ præcipuam partem & recidivæ præcavendæ unicum constituit remedium. Podagricos maturo motu a tophis alias generandis defendit *Sydenhamus*; scorbutum quiete generari, motu

tu præcaveri, quam potentiſſime Practicorum obſervatum eſt.

Mentis exercitia poſt morbos chronicos, qui cerebrum præcipue nervoſumque ſyſtema affecerant, evitari ſedulo diu debent; his enim cum plus ac labore duro debilitari corpus videamus, vires alias redituras procraſtinamus, quin & fatuitatem ſæpe tota vita perſtantem inducimus.

Somno largiori convaleſcentes indigere virium jactura per morbum facta loquitur; quot autem horæ ſomno dicandæ ſint, & conſuetudo, & virium jactura reſtauratione indigens, & ipſa ætas determinabit, & 4 æque ac 8 horarum ſomno quosdam refocillatos videbis, & univerſaliter ſenes parciori indigere ſomno, juvenes largiori; morbum gravem prægreſſum plus horarum pro ſomno exigere, & legibus phyſiologicis & experientiæ conſonum eſt. Somnum ante mediam noctem debilibus plus conducere ac poſtea experientia confirmatur: rationem in eo poſitam eſſe hujus obſervationis credimus, quodſi ante mediam noctem ſomnum talis non capiat, exercitio ſenſuum in- & externorum nimium continuato valde debilitetur, ut ſequente poſtea ſomno ob corpus vigilia nimis irritatum adeo notabiliter refici non poſſit. Evigilans, ut ſtatim ſurgat, monendus, ne corpore ſine ſomno diutius in balneo proprii vaporis locato debilitas nova inducatur; ad illos præcipue hoc monitum ſpectat, qui tabe dorſali antea exhauſti novam vitam, novasque vires jam iterum reaſſumunt.

Haud

Haud alium equidem post morbum somnus pomeridianus præcipue evitandus, ac post hydropem; pedes enim hydropicorum morbo jam curato œdematosos perstare communis observatio est; hoc in casu, si sensui gravitatis & desatigationis, quo molestantur, indulgeant, & plus justo decumbant, ipsa sub reconvalescentia ægri jamjam perfecte sani subito apoplexia e medio tolluntur, nisi lata, largaque tum capiti, tum extremis corporis apposita vesicantia, diuturna suppuratione madentia levamen afferant.

Et universim post omnem morbum chronicum somnum largum nocere plus, quam prodesse, quidquid credat vulgus, aperte nimis loquitur experientia, nimis clare demonstrat ratio: cum in decubitu supino propria gravitate e pedibus ad superiora deferri aquæ debeant; inde est, quod in hydropis cura, ubi primo major respirandi difficultas supervenit statim e lecto, inviti etiam, eximantur ægri, ut in sella sedendo pedibus inferiora versus propendentibus aquarum impetus in illos crescat, & partes visceraque nobiliora inde liberentur.

Excreta & retenta non minorem in consideratione veniunt in convalescentia ex morbis chronicis; cum enim hi ex obstructione pro maxima parte ortum habeant, alvinam præcipue excretionem, ut attendamus sedulo, oportet; sic melancholicum humorem, si non excernas totum leni, sed repetita purgatione, ut de novo accumuletur, facimus; cephaleam alvo obstructa iterum revocamus; lithontripticos dolores alvo suppressa, tarda reddita de novo redire, crescere, frequens obser-

va-

vatio est. In ictero, alvo diutius duriori, ut equidem hoc in morbo solet, perstante, anxietatem subito crescere videmus, alvo mota brevi evanescentem.

Cum reconvalescentes per viam tutiorem ad sanitatem firmam ducere scopus sit, princeps nobis cura esse debet, ut omne, quod vitio quodam a morbo relicto excernitur, utile corpori retineatur; illud vero omne, quod corpori inimicum & noxium esse possit, sive sit a materie morbi relictum, sive per vires vitæ detritum & excretioni destinatum, eliminetur.

Sed & morbos chronicos videre est, in quibus factæ excretiones & leviſſimæ sæpe morbum de novo revocant; exemplum evidens habetur passionis hystericæ, cujus paroxysmum leve sæpe purgans datum vehementiorem inducit.

Applicata externa post morbos chronicos singularem eniinvero merentur attentionem; quanta enim balneorum frigidorum præcipue vis in morbis chronicis æstimatur? Debile corpus sic firmari, robustius reddi cuti adstrictiori reddita, perspirabilis suppressionem fieri minus frequentem, frigoris effectus pathologice considerati confirmant; ast inconsultum quilibet duxerit, debile corpus frigido balneo statim immergere; subitas inde convulsiones, pro quarum cura ad hoc remedii genus recurrimus, necessario debere nasci, & rationi, & tristi haud raro experientiæ consonum est: præstat ergo, spongia aqua frigida imbuta corporis primo extrema, dein & truncum lavare, ipso denique balneo partes corporis sensim immergere paucorum

rum minutorum ſpatio confert, uſque dum percepto notabili levamine mali, aut robore corporis perceptibili ratione aucto, & diutius balneo frigido immerſum perſtare corpus poſſit; qua in re plurimum equidem intereſt, ſi motus ſimul accedat corporis, quod in balneo aquæ currentis fieri quam facillime poteſt, ſic & vi frigoris, & motus ſimul facti duplici quaſi via robur corpori accedit, & convulſiones ſic a laxitate, & debilitate corporis ortæ, quam feliciſſime, *Tiſſoto* teſte, conſopiuntur. Pulcherrima exempla nimia venere exhauſtorum, qui nutrientibus, leviter roborantibus curati balnei frigidi uſu perfecte fuere reſtituti apud Obſervatores practicos invenire eſt; in epilepſia, choræa S. Viti omnibus ſæpe incaſſum tentatis, & a morbo, & a recidivæ metu hæc balnea deſperatos omnino ægros liberarunt.

Et veſtimentorum non minor habenda eſt ratio, ſi animus ſit a morbo quodam chronico curatos a novo morbi paroxyſmo præmunire; ſic rheumatiſmo, arthritide longa liberatos veſtimentis non nimium levibus & ipſa quoque æſtate tegere oportet: moniti *Bœrhaavii* memores, qui ad morborum certam prophylaxin veſtes hybernales tarde deponere æſtate, & cito induere autumno ſuadet; panni præ ſerico, lana præ aliis omnibus pannorum generibus eligenda, cum & calore plus corpus foveat, & levi facta frictione perſpirabile æquabiliter conſervet.

In rachiticis ſiccas veſtes laneas præcipue omnibus aliis præferendas ad humectationem nimiam corporis evitandam unanime Medicorum conſilium eſt. Munditiem corporis infantum præſertim

morbos cutaneos maximam partem præcavere, nobiliorum infantum exemplo discimus.

Laxum, debile corpus strictioribus paulo vestibus firmare, roborare, rationalis Medici scopus est. Oedema pedum chronicum curatum licet remediis internis, externa quoque fascia a digitis pedum incipiendo applicata, ne iterum redeat, omni conatu evitare adlaboramus.

Sed haud infrequentes adeo casus, ubi corpus firmari vestibus, sanitati plus nocet, prætervideri nequaquam debent; sic thoraculorum perversus sub graviditate usus abortum sæpe causat, morbos ventriculi, abdominis, thoracis horum compressione pejores reddi, haud rara, præcipue apud feminas, observatio est. Collare nimis strictum in morbis capitis omnino nocere, apoplexia sola hae ex causa sæpius orta, clare ostendit.

VIII.

FRANCISCI ZEIT,

MORAVI-ROHATICENSIS

DISSERTATIO

DE

CONVULSIONIBUS INFANTUM.

Sunt nonnulli, qui convulsionem & spasmum pro uno eodemque computant; multi tamen convulsionem a spasmo discriminant data hac utriusque definitione.

Convulsio est invita, violenta, & alterna repetens musculi contractio & relaxatio; spasmus autem strictiori sensu est violenta invita & continua musculi contractio; inde patet utrumque hoc malum tempore solo perdurantis contractionis musculorum unum ab alio differre, idcirco etiam *Illustr. van Swieten*, in Comment. §. 230. dicit, genera-

li magis significatione posse etiam hoc nomine (convulsionis nempe) intelligi contractionem violentam musculi, quæ diu manet sine alterna remissione cum & quondam promiscue hoc factum fuerit; natura enim morbi utriusque eadem est. Attamen accuratioris divisionis causa utar differentia inter convulsionem & spasmum, adnectendo cuilibet tanquam generi suas certas species. Sic ad convulsionem pertinet: *Tremor*, qui ponit vacillationem musculorum inter tonum & relaxationem. Bœrhav. Instit. §. 627.

Singultus est convulsio œsophagi ventriculum & diaphragma sursum trahentis, dum simul diaphragma deorsum convellitur.

Cordis palpitatio est violenta cordis contractio una cum magna resistentia cruoris a corde pulsi.

Epilepsia ab Hippocrate morbus comitialis dicitur; & definitur esse subita integraque abolitio sensuum externorum internorumque, & motuum voluntariorum cum reciprocis violentis convulsionibus & resolutione. Bœrhaav. §. 862.

Chorea sancti Viti est convulsio extremitatum, ita, ut ægri saltantes æmulentur.

Ad spasmodicos autem morbos pertinet:

Tetanus, seu *rigiditas*, est spasmus violentus musculorum parti flectendæ & extendendæ propriorum simultaneus, qui hinc vel universa-

lis

lis omnium simul vel singularis uniuscujusdam membri.

Emprosthonos, est spasmus musculorum caput, collum, thoracem, lumbos ad anteriora flectentium.

Opisthonos, est spasmus musculorum, caput, verticem, dorsum retroflectentium, sed etiam truncus corporis ad latus alterutrum spastice incurvari potest, tuncque *Pleurotothonos* audit, est itidem spasmi species dicta:

Spasmus maxillæ, quem Aretæus etiam Tetanum maxillæ appellavit, in quo scilicet musculi maxillam inferiorem ad superiorem apprimentes spasmo constricti sunt, ita, ut maxillæ ab invicem diduci ulla ratione non valeant; & adhuc alia spasmi maxillæ species est, priore rarior, dum nempe maxilla inferior sursum tracta antrorsum protruditur, ita, ut series dentium sibi non respondeant.

Neque minus lingua spasmo affici observata est, quem alii glossocele, alii Tetanum linguæ nuncupant.

In facie visus est risus sardonicus, qui definitur esse spasmus musculorum oris, ita, ut æger ridere videatur.

Spasmus cinicus appellatur, ubi labiorum & faciei musculi ore diducto ita contrahuntur, ut exhibeatur species canis sitientis & rictum apertum referentis.

Tortura oris est, ubi os contractis unius lateris musculis versus illud idem latus violenter trahitur.

Metaclasis est spasmus in musculis alterutrius oculi.

Phisodes a recentioribus sub barbaro vocabulo crampus definitur esse unius solum alteriusve musculi per aliquot momenta perdurans contractio.

Hæ sunt divisiones & spasmi, & convulsionis desumptæ a loco ipso affecto, atque ejusmodi formari possunt totidem, quot partes in corpore humano convulsione & spasmo affici valent, quas omnes enumerare inutile esse quis non duxerit? Idcirco solummodo sensibiliores, & ab autoribus celeberrimis frequentius observatas retuli, præsertim cum aliæ divisiones superstint majoris emolumenti, nempe;

In convulsionem & spasmum acutum & chronicum protopathicum & deuteropathicum; idiopathicum & sympathicum, his quoque addendus est spasmus & convulsio periodica, sive certa, sive incerta periodo rediens; quorum omnium definitio patet ex cognitione pathologicæ doctrinæ.

Morbus hic equidem sexum utrumque, & omnes ætates humanas infestare solet. Infantilis tamen ætas eidem, quam maxime obnoxia esse observatur, quod certe non mirum, nam causa prædisponens (irritabilitatem nimiam intelligo) vel maxime in hac ætate præponderat, quemadmodum

etiam

etiam asserit *Illustri J. van Swieten, in Comment. §. 712.* dum scribit: Puerorum autem illa proclivitas in convulsiones a facili mobilitate generis nervosi pendet. Atque profecto, si pueri hanc ob causam in convulsiones adeo proclives sint, quid de infante recens nato, aut unius duorumve annorum sentiendum erit?

Accedit simul, quod infantes plus aliis obnoxii sint facillimæ causarum procatarcticarum genesi, quas nunc enumerare aggredior, præmisso adhuc, quod eadem causa, quæ convulsionem fecerat in eodem subjecto, vel in aliis accedente ejus majori vehementia, intensiori applicatione, diversa subjecti plus vel minus irritabilis constitutione spasmos producere poterit, idcirco quæcunque causæ convulsionum descriptæ sequuntur, eædem, ut causæ spasmorum agnosci parique methodo curari debent.

Causa ergo convulsionis & spasmi jam in neonatis esse poterit meconium, si illud retentum sit, aut non satis repurgatum, tunc autem convulsio mox primo a nativitate tempore infantem invadit, dum simul interim alvus obstructa est, vel vero etiamsi fusca fereque nigra (quemadmodum in neonatis primis diebus esse debet) pro parte excernatur, tunc lentam tenacemque materiam suppeditat, quæ ob lentorem de integro evacuari non potest, atque aëris accessu corrupta flatus, borborygmos, vomitus, tormina producit cum pervigilio, ubi alias, testante quotidiana observatione, recens natis, si omnia illis recte cedant, somnus est fere continuus, secus autem quasi territi (si non adsit plenum pervigilium) in somno subsiliunt, excitantur, convel-

luntur, & hæ convulsiones infantum eo plus habent periculi, quo major earum fuerit vehementia; de convulsionibus autem a meconio *Illustriss. van Swieten* sequentem facit prognosim: *Quodsi neonati eas supervixerint, nisi expellatur meconium cito emaciantur*, ita ut testetur se vidisse infantes, dum nascerentur obesulos intra triduum penitus fuisse emaciatos. Attamen, si leviores videas convulsiones non semper adeo periculosam feceris prognosim, cave tamen, ne periculum omne abesse enuncies, sunt etenim eventus semper dubii, quemadmodum Autores celeberrimi & clarissimi mihique æternum venerandus Præceptor *Maximilian Stoll*, se vidisse testatur, interdum a convulsionibus licet in initio levioribus aliquot demum accessionibus repetitis pusillos interemptos fuisse, ubi a contrario alii multos paroxysmos impune tulisse visi sunt.

Cura in omnibus convulsionibus est altera in paroxysmo, & altera extra paroxysmum. In paroxysmo convenient omnia odorata, ut per illa nervis inducatur caracter convulsivo contrarius, talia sunt ΩCC. aqu. anodyn. Ω Melliss. Carmelit., Spiritum Ω salis ammon. fumus partium animalium accensarum, Essent. succini, Castorei naribus applicata, temporibus, abdomini illinita, scuta stomachica ex Camphora, mosco, assa fætida, cæterisque nervinis; conveniunt item balnea aquæ tepidæ, Enemata emollientia, dein leniter stimulantia anodyna. Attamen clare patet, nequaquam sine attentione hæc esse usurpanda, sic e. g. infantibus plethoricis pleni succulentique habitus (utpote, qui pessime a convulsionibus afficiuntur) nequaquam mox in initio applicabis odores hos, has

abdo-

abdominis inunctiones nervinas, acres, ſtimulantes, ſed pro curatione indirecta potius ſecanda prius vena, aut venæſectioni hyrudo ſubſtituenda eſt, ut etiamſi per illam convulſio non ſanetur, eadem tamen facilius minori cum detrimento & periculo ſufferri valeat, aut ſi dolori cuidam inflammatorio encephalum in conſenſum trahenti acceſſerit convulſio, ea unice, quæ dolorem lenire poterunt, convulſionibus etiam levamen adferent.

Extra paroxyſmum autem, prout diverſa fuerit cauſa convulſionis, ſic quoque diverſa erit curatio; ſic ſi originem habeat a meconio proderunt purgantia, uti Syrup. Cichor. cum Rheo, Syrup. mannatus, ſapo venetus in quadam aqu. leviter aromatica ſolutus repetitisque doſibus exhibitus, manna cum oleo amygdalarum recenti; oleoſis tamen multis ore aſſumendis non multum cauteque inſiſtendum eſt, utpote in debili infantis ventriculo facile ſaburram aucturis, producturis. Summi quoque uſus erunt enemata ex lactis ſero, lacte ipſo & oleo, addito melle, manna, ſapone, ſaccharo; ſuppoſitoria ex melle cocto, ſapone, ſebo, aut globulis ſaccharatis, ſcilicet ex ſeminibus fœniculi ſaccharo incruſtatis, hosque globulos ſuppoſitoriis prioribus efficaciores eſſe, cenſet *van Swieten*. Patet hic certe, quam turpi conſilio primis a partu diebus primum lac maternum tenue ſeroſum rejiciant ineptæ mulierculæ, quod tanquam tenue nutrimentum tenerrimo adhuc infanti præparare debebat natura, & quod ſimul ſaponacea purganteque vi ſua ſuperabundanti muci copiæ meconioque evacuando aptiſſimum medicamentum eadem benigna natura prædeſtinavit. Quia vero a

debilitate inteſtinorum excretio muci meconiique impeditur, ſervient in hunc uſum ſcuta ſtomachica, epithemata moderate aromatica & ſpirituoſa, quæ etiam hunc in ſcopum commendat *Bœrhaavius*. Ab opio autem, utut ſit ſummum anticonvulſivum abſtinendum eſt, etenim humores ad encephalum congerit, alvum obſtruit, cujus evacuationi in hoc caſu augendæ operam ſuam impendere debet medicus, niſi forte meconio ſordibusque prius evacuatis, ad nervos pacandos neceſſarium videretur diacodiatum, aliudve ejusmodi leniu opiatum.

II. Convulſionis cauſa eſt alvus moroſa difficilis diu retenta in infantibus etiam jam poſt aliquot tempus a nativitate elapſum; agnoſcitur patente alioquin longa alvi retentione, & difficilis eſſe alvus judicatur ex magno nixu cum faciei rubore, turgore, clamoreque edito inter ejus depoſitionem; hæc vero ante convulſionem adhuc attente obſervanda ſunt; atque ad curandas has convulſiones eadem adhibenda eſt medendi methodus, quam ortæ a meconio ſibi vindicant.

III. Convulſionum cauſam ſuggerunt tormina a lacte prava qualitate peccante, a lacte nimis acri, ſpiſſo, non ſatis ſubacto viresque concoctrices infantis excedente, vel jam in corpore nutricis in aceſcentiam proclivi reddito; item ab aliis ingeſtis lentis tenacibus uti a copioſis farinaceis pultibus in primis viis facile degenerantibus. Clamores tunc edunt puſilli absque alia cauſa manifeſta, cui tandem poſt tempus aliquod ſuccedit ſilentium, denuoque clamantes artus inferiores verſus abdomen retrahunt, & agitant, noctes inſomnes aut ſaltem

tur-

turbatas agunt, excitantur quasi territi, interdum dormientes subrident, & oculos nictitant, mammas avidissime arripiunt & sugunt, mox iterum rejiciunt cum ejulatu.

Curatio ad sequentia capita, reducitur 1) ad methodum invertentem acrimoniam (ut plurimum in parvulis) acidam, in quem scopum lapid. cancrorum, ostracodermata, magnes nitri muriæ, aliaque absorbentia tuto inservient, quia autem interdum morbus moram non patitur, una opus habet inversio acrimoniæ, tunc in usum trahenda est 2) curandi methodus involvens dicta, quæ oleosis, gelatinis ex CC. aut eboris rasura, jusculis pinguibus utitur, quibus acrimonia obvoluta minus irritet, saltem eousque donec adhiberi possit evacuans, quod 3) exhibebit medendi methodum; evacuatio autem fieri poterit emesi vel purgante, prout nempe commodior breviorque via videbitur, prout indicatio aliæque circumstantiæ desideraverint. Nolim vero hic concludi: Purgans emetico, aut emeticum purganti promiscue semper substitui posse; habet quodlibet certas sui indicationes, ita, ut dum saburra hæret in intestinis purgante, ex ventriculo autem emetico expelli debeat; dantur casus testante *Ballonio*, ubi repetita purgantia nihil effecere, & unicum datum emeticum indicationi satisfecerat, imo non raro contingit, ut exhibitum purgans loco emetici indicati saburram per adeo longum tractum intestinorum traducendo, eidem resorbendæ, & in secundas vias transferendæ occasionem facilitatemque præbeat; 4ta Methodus est emolliens, quæ utitur enematibus, cataplasmatibus emollientibus, balneis aquæ tepidæ, ut hac ratione minus crispentur fibræ, minus sese contra

acri-

acrimoniam contrahant. 5ta Methodus est nervina, hæc varia nervis amica adhibet, uti Balsam. *Scherzerii* Saxonic. Embrion. ΩCC. simpl. succinatum abdomini illinitum, naribus applicatum, ut per hæc odorata caracter convulsivo contrarius nervis inducatur. 6ta Methodus est ex his omnibus composita magno certe usui cedens in praxi medica; etenim infantes a stimulo irritante, & torminibus convulsi, medicamentis acrimoniam invertentibus, obtundentibus, evacuantibus assumendis incapaces sunt, donec feliciter per balnea aquæ tepidæ, cataplasmata emollientia anodyna, nervinas abdominis inunctiones, odoresque naribus haustos inducis lucratis valeas sordes in ventriculo, intestinis latitantes evacuare; subinde vero (si infans adhuc ubera sugat) etiam ipsi nutrici facienda est medicina, sic si lac nimis spissum fuerit, illud decoctis attenuantibus solventibusque dilui debet, si lac non satis subactum fuerit, uti ob vitam otiosam, sedentariam nutricis fieri poterit, nutrix tunc ad proportionata corporis exercitia adstringenda est; si vero lac adhuc in corpore nutricis hærens magnam proclivitatem in acrimoniam acidam habeat, nutrici tunc antiacida, absorbentia, roborantia erunt ordinanda. Exemplum ejusmodi affert *Clarissimus Rosenstein*, de infante torminibus laborante, quam primum nutrix usum magnesiæ muriæ cum Cort. Aurant. intermiserat, ita, ut multorum mensium spatio hoc remedio uti debuerit.

IV. Convulsionum causa esse potest cacochymia & acrimonia humorum qualiscunque ipsius infantis, aut etiam nutricis. Sic cuilibet notum est, infantes pituitosos convelli, convelli variolantes, venereos, scorbuticos &c., & quidem non raro pa-

ri

ri paſſu, ſeu quadam ex his acrimoniis nutrices prius laborent, puſillisque cum lacte communicent, ſeu eadem ipſi infantili corpuſculo prius inhæſerit. In variolarum febri primaria non metuebat convulſiones *Sydenhamus*, *Roſenſteinius*, (pag. 67.) plurimum in ſecundaria. In hac convulſionis ſpecie, ſpeciem acrimoniæ oportebit cognoſcere, & juxta ejusdem indolem appropriatam cuivis adhibere methodum medendi, quam ſolummodo breviter (quantum opuſculi brevitas admittit) hic attingam; ſic in febre varioloſa medelam affert juſtum illius moderamen ſi exorbitaverit, quod venæſectio, hyrudines, enemata emollientia, ſyrupi acidi refrigerantes cum pauxillo nitri, potus theati emollientes præſtabunt; ſi vero febri ad juſtum moderamen reducta convulſiones adhuc non deſtiterint, proderit pauxillum opiati; ad ſenſum ſtimuli irritantis minuendum proderit infantis in aërem recentem frigidiuſculum exportatio, tanquam verum veneni varioloſi antitodum convulſiones variolantium curans, & ab iisdem præſervans, præcipue ſi ſimul variolantes (qui tota fere die ſomnolenti ſunt) a ſomno arceantur, noctu ſolum illis conceſſo hoc, qui pro neceſſaria virium refectione humano generi eſt inevitabilis, quantum hæc duo proſint *Illuſtriſſ. D. L. B. de Störck*, *Stoll* & *Rectberger* ſufficiens perhibent teſtimonium.

Pro venereis infantibus nutrix conducta mercurium inquinetur, ut inde lac medicatum redditum infantem & nutriat, & curet; in caſu autem, quo ejusmodi nutrix haberi non poſſet, aut infans jam ablactatus eſſet, aut mercurium aſſumere nutrix non vellet, capra mercurio hunc in ſcopum tractanda eſt, & ab ea lac medicabile redditum infanti

fanti propinetur; infantibus vero jam paulo majorem ætatem adeptis mercurius gummosus *Plenkiana* methodo poterit exhiberi. In cacochymia vero pituitosa, primæ viæ purgantibus mundandæ, aut etiam, si opus fuerit, etiam emetico evacuandæ sunt, emendata si fors vitiosa esset diæta, demumque levi corporis exercitio, uti per cunarum motum, vectionem in curru injuncto, incidentia salina, leniter stimulantia antiscorbutica, leniterque roborantia curam absolvent. Pro scorbuticis autem infantibus adhuc ubera sugentibus nutrix copiosa antiscorbutica assumere debet; si vero jam ablactati sint, capram hunc in usum iisdem copiosis vesci necesse erit, a qua lac obtentum infantibus propinandum est, imo ipsi infanti leniora vel fortiora, prout illius ætas viresque ferre poterunt, qualicunque commodiori forma submministrare oportebit, diæta simul molli, blanda, facile digestibili ex vegetabilibus recentibus injuncta.

V. *Itidem* in infantibus convulsionum & spasmorum causa esse potest materia, qualiscunque acris ad superficiem corporis ableganda, sed tamen eo non delata, ut ex ipsa superficie denuo sponte dispareat, vel mala arte retropellatur, uti sunt omnes efflorescentiæ cutaneæ, tumores rheumatici, erysipelatosi &c., atque tunc solito alias minori quantitate videbis has efflorescentias occupare corporis superficiem cum malis symptomatibus morbique gravitate; retrocessisse autem concludes ex disparitione earumdem, quoad magnitudinem, altitudinem & numerum imminutione, dum interim morbus & febris simul augetur, symptomata exacerbantur, vires vitæ prosternuntur cum convulsione, vel spasmo corporis totius, vel partis, patet

tet hic periculosam esse prognosim, qualem etiam *Hippocrates* prædicto libro primo de parotide citra rationem evanescente fecerat, idem etiam ulterius dicit tumores, maculæ pruriginosæ, ac alia exanthemata cito disparentia pernicioſa.

Curationem absolvent omnia, quæ ad corporis peripheriam determinant, inde potus tepidi perspirationem sudoremque moventes, uti sunt infusum florum tiliæ, acaciæ, sambuci &c. ejusdem roob, balnea aquæ tepidæ, imo si nulla adfuerit febris, stibium diaphoreticum, tinctura croci, moschus, camphora parvis dosibus exhibita; sunt, qui hoc in casu applicant vesicantia, sed certissime ætatis infantilis habenda erit ratio circumspectioque, nam licet quidem vesicantia perspirationem valide moveant, humores ad peripheriam determinent, agunt tamen validissime in vias urinarias etiam in hominibus adultis, quid continget in pusilli corpore adeo irritabili? Triste ejusmodi exemplum *Clariss. Dominus Professor Stoll* se vidisse in Collegio retulerat, ubi tenellus infans applicato vesicante stranguria primum dein dysuria correptus tandem perfecta urinæ suppressione periverat.

Si vero materies ejusmodi retropulsa sibi phlogosim associaverit, methodus antiphlogistica prius erit præmittenda.

VI. Causa esse poterit febris quæcunque, tumores dolentes inflammati, aut alius qualiscunque dolor etiam in partibus a capite diffitis, dolor venereus nocturnus a lue hæreditaria, vel cum lacte hausta, ab applicato incaute vesicante, item alius quiscunque morbus; testantur id Practici celeberrimi

mi morbos quam plurimos febresque infantum cum convulsionibus oriri, vel eas comitari, aut convulsiones illis subsequi; de his convulsionibus *Illustriss. van Swieten §. 712.* scribit: Quamvis semper periculosa sit convulsio ob pessimos, qui inde sequi possunt effectus, in febribus tamen inde adhuc major metus; neque idem est, seu convulsionem febris, seu febrim convulsio sequatur *Hippocrate* testante *Sect. 2. Aphoris. 26.* febrim convulsioni succedere praestat, quam febri convulsionem. Curam hic describere praefixum Dissertationis meae territorium excederet, etenim methodus medendi omnium febrium omniumque morborum, qui convulsionis causa esse possunt, & in quos medicinam convertere debet medicus, afferre deberem, mentionem solum hic infero, accuratissime inquirendum esse in naturam hujus febris morbique protopathici, in eumque curam directam convertendam esse, quo sanato, convulsiones quoque sanatas gaudebis.

VII. Causa est opium illiusque praeparata, vel alia narcotica assumpta incaute aut frequenter, quemadmodum ad vagitus infantum sopiendos passim etiam ruri contingit, lugent innumeri sane parentes proles suas ab hac causa periisse convulsas, vel etiamsi a convulsionibus sanae redditae, aut plane nunquam convulsae fuissent, totam saepe vitam earum in fatuitate stupiditateve transigendam deplorant, testante *Rosensteinio.* Diagnosi hic faciendae plurimum lucis affundet ejusmodi narcotici propinati cognitio, cum aucto, quemadmodum narcotica facere solent, humorum orgasmo etiam ante convulsionem observabili praegressa somnolentia, vel plane somno insuperabili cum faciei rubore,

ejus-

ejusdem & venarum corporis totius turgore. In hoc ſtatu rerum omnium primo facienda eſt *Venæ ſectio* aut hujus in locum hyrudines applicandæ ſunt ad tempora, ut quantitas humorum & orgaſmus minuatur, demum prompte, quemadmodum in acribus aſſumptis fieri ſolet, ſuadente *Roſenſteinio* propinandum eſt lac tepidum, cremor lactis cum oleo amygdali vel butyro recenti; fauces plumula ad vomitum irritandæ, aut ſi convulſio intermiſerit, dandum erit emeticum purgansve prout neceſſitas poſtulaverit; hoc vero notandum eſt, ſi narcotica data ſint forma ſolida, aut ſi etiam data ſint forma fluida, dum modo adhuc in primis viis latitent taleque temporis ſpatium non interceſſit, intra quod jam de integro in ſecundas vias transiviſſent, tunc enim profecto nulla eſſet indicatio emetici, ſed facta, ut prius dictum eſt, *Venæ ſectione* inſiſtendum eſt enematibus emollientibus nitroſis, itidem, ſi infantes jam adultiores ſint, & intermittat convulſio convenient pro potu emollientia nitroſa, acetum aqua dilutum tanquam optimum narcoticorum antidotum, quod etiam enematibus additum bonum præſtabit effectum, ſinapiſmi quoque ſcopo revellente a capite ad pedes applicari poſſunt.

VIII. Et frequens convulſionum cauſa eſt dentitio difficilis plerumque circa ſeptimum ætatis menſem infantibus familiaris, cujus ſigna ſunt ſequentia ante convulſionem obſervabilia: *Illuſtr. van Swieten* obſervavit incipiente dentitione arcum alveolarem latiorem fieri a dente laminas arcus diſtendente, interdum dentitionis tempore obſervante *Clar. Harris*, ſed priusquam gingiva tumeat, in uno alterove loco albidus circulus videtur, ac ſi

dens jam emersurus pelluceret, infantes pruritum doloremque gingivarum digito in os frequenter immisso manifestant & maxillas ad invicem apprimunt, ac si hac ratione eundem supprimere vellent; hæc quidem adesse possunt etiam in dentitione facili; in difficili autem præterea adest febris magna manifestior, rubor inflammatorius faciei totiusque capitis, sic inflammatoria quadam ratione tument gingivæ præcipue in loco dentis exitum mollientis, ubi etiam prominet tuberculum, quod aliquando suppuratur, gangræneſcit, ejusmodi etiam tumore elevantur genæ, oculi scintillant & aliquando ophthalmia inflammatoria infestantur, tument quoque parotides, affluit ingens salivæ copia, a qua deglutita infantibus diarrhæa accedit, diarrhæa autem illa præter mox dictam causam etiam consensui, in quem abdomen trahitur, suam tenetur originem, alii vomunt assumpta, pituitosa viridia æruginosa, patiuntur tenesmum aut alvo fluente deponunt viridia qualia solent esse ab †do primarum viarum, urinæ sunt rubræ. Interdum tamen hæc sympathica abdominis affectio contrarios producit effectus, ita ut alvus urinaque penitus supprimantur, adsunt vigiliæ, vel saltem noctes inquietæ, interdum tussis, atque a raptu humorum versus caput cæcitas & surditas, multum simul confert ad diagnosim tempus dentitionis consuetum; In hac convulsionis specie a dentitione difficili orta multi quidem evadunt, multi autem (& fors plures) etiam pereunt testante Hippocrate.

In curatione notanda sunt sequentia, ex quibus rite perpensis indicationes profluunt; 1) hanc febrim dentientium esse de genere inflammatorio, hinc primo debita cura in eam dirigenda est.

2) Adest

2) Adeſt nimia quantitas humorum in encephalo, conſequenter humores ab eo revellendi ſunt, 3) dens exitum moliens gingivas tendit, inflammat, dum easdem perrumpere conatur; idcirco oportebit viam hanc facilitare, aperire. 4) Denique manifeſtum eſt his prioribus ſiſtema nervoſum fuiſſe irritatum, hinc quietem nervis oportebit inducere. Primæ indicationi ſatisfacies *Venæ ſectione*, quam in hoc caſu ſummi exiſtimabat *Sydenhamus*, & etiam *Clar. Harris* evacuationem ſanguinis cenſet neceſſariam, attamen magis favet applicandis hyrudinibus infra utrumque aurem, quod etiam in genis utpote in vicinia loci inflammati adimpleri poterit; gingivæ autem inflammatæ emolliri, refrigerari debent mucilagine ſeminum Cydonior. aut gummi arabici, Tragacanthæ, ſucco ſemper vivii majoris, addito ſyrupo de Althæa, Violarum &c. cremore lactis, lacte tepefacto, item lacte (cui ficus, Radix Althææ incocta & pauculum croci adjectum fuerat) molli ſpongia excepto & gingivis inflammatis applicato, interim ſolo lacte materno nutriatur infans, vel vero ſero lactis dulcificato, etiamſi fors jam prius alia alimenta deguſtaſſet. Humores autem a capite revelles enematibus emollientibus, ſyrupis ſolventibus, leviter eccoproticis, leviter nitroſis alvus aſſidue ſervetur liberrima, ſunt etiam multi, qui hunc in ſcopum adhibent veſicantia, ſed fors tutius adhibebuntur ſinapiſmi. Via denti emerſuro aperitur gingivarum ſectione, quæ autem tunc primo locum habet, dum membrana alveolum tegens a dente emergente elevatur, tenditur, rubet, dolet; *van Swieten* §. 1377.; etenim ſi profundius adhuc hæreret dens, antequam prodiret, vulnuſculum conſolidaretur, cicatriſaretur ſine ob-

tento operationis effectu. Imo ex eadem ratione aliqui suadent sectionem non esse lanceola instituendam, sed instrumento potius aliquo cujus dorsum in densitatem novaculæ æmulam assurgat. *Clar. Harris* pag. 35.

Directio autem incisionis est, ut in molaribus cruciata, in incisoriis dentibus & caninis longitudinalis instituatur. 4) Adhuc superest memorata indicatio, cujus adimpletio locum habebit, donec omne inflammatorium febrileque solutum fuerit, hæc utitur syrupo Diacodii, vel papaveris albi, pauxillo camphoræ moschi, præparatis menthæ melissæ, quibus aliquid Tinctura Croci, aut una alterave gutta Laudani liquidi *Sydenhami* aut ΩCC. simpl. vel succinati addi poterit, quo scopo etiam Cortex Peruvianus indicatur.

IX. Convulsionum causa est inanitio, quam etiam in adultis multoque plus in infantibus convulsiones producere tota Bibliotheca medica loquitur, seu hæc fiat a Diarrhæa copiosa longa, aut purgantium valida actione, hyperemesi vulnere cæterisque evacuationibus nimiis, ex quibus animadversis facile debitam formabis diagnosim; attamen cum diarrhæa non debet confundi laxa alvus neonatorum, qui singulis primis duobus tribusve diebus ter vel quater purgantur, purgatioque illa est ipsis proficua atque necessaria; Ad hanc quoque convulsionum causam pertinet defectus nutrimenti, qui interdum accidit fraude nutricis, lacte se se abundare simulantis, quæ tamen lactis quantitate necessaria caret; inde sitiunt infantes, emaciantur, absque alia causa observabili. Ad hujus causæ cognitionem pervenitur ex eo, quod infans

etiam

etiam mox post suctionem digitum in os sibi impositum (sed ante convulsionem adhuc vel ejusdem tempore intermedio) sugendi conamine compresserit, oportebit ideo nutricis ubera visitare, an sufficientem quantitatem lactis infanti proportionatam conficiant; Prognosis in hac causa convulsionum deprehensa ab omnibus censetur pessima; sic *Galenus* in Libro de convulsionibus scribit, convulsiones a siccitate, aut inanitione extrema ut plurimum incurabiles. *Hippocrates* Sectione quinta, aphorism. quarto: Ex nimia purgatione convulsio aut singultus malum; ulterius demum ejusdem Sectionis aphorismo secundo dicit, convulsio ex vulnere lethalis; aphorismo tertio, ubi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut convulsio superveniens malum; contrarium autem prædicit *Galenus* de convulsionibus a nimia plenitudine, humorumque bonorum copia ortis, hæ enim facta depletione per *Venæ sectionem* hyrudinesve &c. facilius curantur.

Si vero ab inanitione evacuationibusque nimiis ortæ fuerint, omnium primo supprimenda erit hæc excedens evacuatio, quæ pro varietate speciei, & loci variis opus habebit remediis, qualia hic afferre inoportunum esset, & inanitionem ut convulsionum causam hic memoratam fuisse, sufficere arbitror; suppressa demum qualicunque hac nimia evacuatione, oportebit talia ingerere, quæ & optimum suppeditant nutrimentum, & a debilitatis visceribus facile subigi, inque naturam nostram mutari valeant, uti sunt lac maternum nutricis aut alterius animalis, ova sorbilia, jusculæ ex carnibus pullorum, limacum, cancrorum, viperarum &c. leviſſima aromatica ut digestio adjuvetur, & eadem

etiam enematibus injici poterunt, verum parva ſemper potiusque frequentiori quantitate exhiberi debent, etenim languent omnes actiones, quæ tamen neceſſariæ ſunt ad digeſtionem, deficiunt humores, qui æque ſumme neceſſarii ſunt ad bonam chylificationem, ac ipſa bona alimenta, hæc quidem ea, qua vellet quantitate ingerere poſſet medicus, in bonum autem chylum, & in naturam noſtram convertere opus eſt ſolius naturæ nunc oppreſſæ; Quodſi tandem his exhibitis rara felicitate id exequaris, ut infantes reſarcitis reparatisque humoribus ſupervivant, nervina remedia, quæ in cura convulſionum a dentitione oriundarum enarraveram, optimo uſui inſervient.

X. Et frequentiſſimam convulſionum in infantibus cauſam præbent vitia primarum viarum, lac nimia quantitate aſſumptum, ſaburra biliosa, pituitoſa, acida, quæ ſe autem jam ante convulſiones manifeſtat ructu, nauſea (ſi eandem infantes jam adultiores verbis exprimere poſſunt) appetitus eſt proſtratus, quem etiam in non loquentibus ex averſatione ciborum concludes, adeſt vomitus aſſumptorum, pituitæ, bilis, aut materiæ lentæ acidumve ſpirantis; ſæpe numero tormina, auditur in abdomine murmur, flatus, alvus eſt diarrhæica flava vel viridis aliquando mucoſa tarda vel obſtructa, Cura conſiſtet in emeſi vel purgante prout id vel ventriculus vel inteſtina ſaburra gravata indicaverint, quo demum a facto grata aromatica ſtomachica curationis explebunt terminum.

XI. Convulſionum cauſa in ſe continet vermes, qui tamen puerilem ætatem frequentius præ infantili, aut infantilem jam adulteriorem inſeſtant; ſedem

sedem vermium variam authores varii inventam fuisse recensent, sic *Baglivius* in cavitate pericardii hominis vermem nigrum pilosum, *Adrianus Spigellius* in humore vitreo oculi equini, *du Vernoy* in sinu longitudinali cerebri vermem circiter quinque pollices longum se invenisse testatur, attamen rari hi casus sunt, & fere semper in primis viis hærere vermes quotidiana docet experientia; signa autem eorum sæpe satis obscura sunt, conabor tamen afferre possibilia, uti sunt pupilla ultra modum dillatata, faciei color eodem die, imo eadem hora ex rubro in pallidum vel contrarie mutatus, oculorum hypopia sunt plumbea, album oculorum triste, oculi in somno conniventes, leviſſimæ adsunt convulsiones, stridor dentium, dolores colici per vices tantum recurrentes, absque manifesta causa cessantes, redeuntes denuo, copiosus adest salivæ affluxus, peculiaris oris fætor, pruritus narium frequens interdum ita gravis ut scalpendo hemorrhagia procuretur, palpitationes cordis, leipothimia præcipue ventriculo jejuno, nauseæ frequentes, subinde fames canina, sitis perpetua, cardialgiæ crebræ, alvus inordinata, modo morosa, modo diarrhæica, modo tenesmoidea, abdomen tumidum, & umbilicum præstantem invenit *Rosenstei-nius*, dum interim extremitates emaciantur, adsunt tremores, cæcitas, amaurosesque subitaneæ cito evanescentes, aurium tinnitus, momentanea partium paralysis tumores in abdomine vagi, hinc inde elevati, mox denuo subsidentes præcipue in tænia; optimum denique signum habere poteris, si unum alterumve vermem ore aut ano excretum animadverteris.

Curationis ſcopo optime primo adhibentur ſalia media, incidentia, antiſcorbutica, quibus datis ſubſtituendum eſt evacuans ore vel ano, prout indicatio & aliæ circumſtantiæ tulerint, ii vero, qui longo tempore laborabant vermibus, plerumque emetico opus habuiſſe viſi ſunt, pro quo Infantibus unius anni dari poteſt granum Ipecacuanhæ cum pauxillo ſachari per vices exhibitum vel infuſum ejusdem radicis vinoſum adjecto oxymelle ſcillitico; item ſyrup. emet. vinum emet. adultioribus etiam dari poteſt ſolutio tartari emetici in aqua communi facta, de qua ſolutione omni quadrante horæ cochlear parvum propinandum tam diu donec vomere incipiat. Poteſt quoque ſcopo emetico infantibus exhiberi grani ſulphur aurat. antim. tert. præc. item gran. unum kermet. mineral. cum ſacharo vel pulvere abſorbente commixtum & partitis vicibus aſſumendum; non nulli etiam dant pauculum aquae benedictæ Rulandi; in locis autem maritimis infantibus aliquibus vectio in mari movere poterit tutam emeſim; patet vero alioquin pro ratione ætatis doſim ſupra memoratorum emeticorum augeri debere, quibus exhibitis oportet ſubjungere amaricantia ſtomachica & non raro ſpecifica anthelmintica ſic dicta, ſemina ſantonici, tanaceti, urticæ, hæc pulveriſata cum melle vel ſyrupo quodam ad unam alteramve drachmam commixta, parvo cochleari ter quater per diem exhibita, eodem ſcopo laudat *Illuſtr. D. L. B. de Stœrck* pulv. radic. Valerian. Sylveſt. pulv. radic. dictam: albi cujus alioquin tantum pauca grana infanti pro doſi dari debent pro ratione ætatis; *Clar. Tiſſot* commendat Extractum ex cortice viridi nucis juglandis paratum, de quo drachm. duæ in aqua cujusdam aromaticae unc. tribus vel quatuor

tuor ſolutæ bienni infanti ad guttas 40. 50. exhiberi poſſunt, interdum purgante interpoſito; laudatur quoque mars & aquæ martiales ſalinæ.

Celebris fama eſt pulv. radic. filicis maris cum oxymelle, hydromelle infantum aliisve incidentibus, vel purgantibus, ter quater per diem exhibitis. Item mercurium princeps anthelminticum, ſed parvulis currens ſolus in ſubſtantia dari non debet, ne ob deglutitionem nondum ſatis exercitatam quidpiam in laryngem incidat, hisque potius illius decoctum conveniet, quod parari poteſt ex mercur. unc. una in libr. aquæ cocta, decantata dein aqua cum adjecta circiter unc. una oxymellis ſcillitici aliquoties per diem cochleatim propinetur; vel ſimul etiam ano injiciatur, quod præcipuum eſt in aſcaridibus, in quibus etiam muria ſalis enemate injecta ſalutarem præſtat effectum; laudantur quoque eodem anthelmintico ſcopo cortex peruvianus; vitriol. martis artific. flor. ſulphur. cum pulv. oſtracodermatum, omnia gummiferulacea, præcipue aſſa fætida, recentiores aliqui commendant raſuram ſtanni. Accidit autem interdum, ut vermes tormina graviſſima, graviſſimos tumultus producant, tuncque non erit locus ſupra memoratis anthelminticis, ſed pallante ſcopo interim ſolum lac tepidum, aut cremor ejusdem propinandus, ano injiciendus erit, vermesque hac ratione ſaltem pro tempore quietos reddi obſervatio eſt *Clariſſ. Roſenſtein*, quo facto demum radicalem vermium curam inſtituere poteris; ſcopo autem diætetico inſerviet teneris infantibus pro potu lac, cui aliquid de ſeminibus

santonici tenaceti urticæ incoctum fuit, adultioribus autem cerevisia potius quam aqua, plane si cerevisia bene lupulata, amara haberi possit. Imo si ferre possint, & præeligant vinum absynthicum, aut aliud amarum, vinum austerum rubrum dilutum bibere poterunt. Interdum de die assumant panem cum melle & seminibus tenaceti pulverisatis, assumant succos herbarum antiscorbuticarum, cibi vero valde saliti, carnes salitæ conducunt, modo quantitate non excedant, & cum infantes alioquin conditis delectentur, salutari effectu illis concedi possunt cort. aurantior. conditi, radix zingiberis, & calam. aromat. condita, universim diæta minus mollis aliquantum spirituosior cum conjuncto corporis motu.

XII. Et non rara convulsionum causa habetur in animi pathematibus infantis, aut ipsius nutricis, præcipue ira & terrore, certis enim observationibus constat infantes sanos convulsos fuisse repente dum nutricis iratæ, aut territæ ubera sugerent, docent quoque aliæ observationes, nutrices vel maxime esse mobiles animique pathematibus subjectas, si illis fluant menstrua. Infantes vero paucioribus subjecti sunt animi pathematibus, subjectos tamen esse aliquibus, & præcipue terrori quotidiana demonstrat experientia, tuncque perpensis effectibus terroris patet convenire omnia ad peripheriam determinantia, aperientia, & simul nervina, qualia sunt: Infus. flor. chamomillæ, menthæ, melissæ, cum syrupo diacodii, vel papaveris albi, aliave mixtura nervina additis guttis aliquot tincturæ croci, laudani, liquidum Sydenhami, item convenit pauxillum camphoræ, ΩCC. essent.

ssent. succini, castorei. Si vero ab animi pathemate nutricis præcipue ira convulsus fuerit infans, tunc & infanti, & nutrici facienda erit medicina, & quidem infanti talis, qualis alias in acribus assumptis fieri solet, scilicet indicantur involventia, oleosa, emulsa, tepida ore hausta, ano injecta, indicantur purgantia, emetica; imo si circumstantiæ aliæ non resiterint, præstabit mox evacuans dare præ involventibus, finita demum evacuantis operatione nervina superius mox enumerata propinentur, nutrici autem lac emulgendum est e mammis, hac die infanti non amplius exhibendis, & animi quies nervinis, variis promissionibus, blanditiisque erit procuranda.

Est etiam species convulsionis periodicæ, quæ certam servans periodum certo tempore redit, seu si eam ita appeliare mavis: est febris larvata intermittens sub larva convulsionis comparens. Diagnosis formanda est, ex accurato quoad tempus & symptomata paroxysmi reditu, prægressa (quam adultiores infantes verbis exprimunt) horripilatione vel calore, vel unguium cerulescentia, & post paroxysmum perpressum sanorum fere vigore, ut plurimum gaudent hujusmodi ægri, quod certe alias morbo gravi inconsuetum est. Erunt tunc ante omnia primæ viæ examinandæ, in quibus fere semper fomes larvatæ febris hærere visus est; his impuris deprehensis intermedio paroxysmi tempore dandum est congruum evacuans, deindeque cortex peruvianus formæ, ætati & morbo accommodata exhibitus curationis finem implere debet. Accidit autem non raro, ut primus aut secundus paroxysmus valde vehemens sit, & tertium sine mor-

tis

tis periculo perferri vix posse videas, cum interim tempus intermedium pro dando evacuante, & etiam sufficiente quantitate corticis exhibenda nimis breve est, oportebit tunc prætermisso evacuante mox sufficientem quantitatem corticis ingerere, ac tandem paroxysmo sopito primas vias mundare.

IX.

IX.

JOSEPHI VERHOVITZ,

CARNIOLI-LAUBACENSIS

DISSERTATIO

DE

NOSTALGIA.

§. I.

Etymologia NOSTALGIÆ derivatur a græca voce νοςέω, quod redeo, eo, proficiscor, & verbo ἄλγος, quod dolorem, mœrorem denotat.

Synonyma, quæ apud auctores occurrunt, sunt PHILOPATRIDOMANIA, quod componitur ex φιλός, amor, πατρὶς, patria, & μανία, furor, insania.

POTHO-

POTHOPATRIDALGIA componitur ex nominibus ποτος, desiderium; πατρὶς, patria, & ἄλγος, dolor, mœror.

NOSTOMANIA ex verbis supra memoratis νοσέω, & μανία combinatum est.

Ex his quocunque morbum describendum baptizaverimus nomine, semper dolorem, amorem, desiderium, insaniam, ob reditum in patriam præpeditum, significabit.

§. II.

Definitur vero, quod sit illa sensorii communis affectio, qua peregrini pusillanimes intensissimo ad parentes, & in patriam revertendi desiderio prehenduntur, ita, ut reditu denegato, mœrore, languore omnium sensuum, appetitus prostratione, agrypnia divexentur, quoque majori de die in diem desiderio tenentur, eo pejus habent, donec tandem febri hectica prehensi, vitam finiant.

§. III.

Ex data definitione patet, morbum hunc sistématis nervosi esse, quod & eo magis eluceścit, quo accuratius subjecta, causas, invasionem, symptomata, stadia diversa, curamque morbi spectemus; minime ergo me erraturum existimo, si *Nostalgiam* speciem delirii taciturni, seu melancholiam sine materia dixero.

§. IV.

§. IV.

Subjecta sunt potissimum juvenes mollius, lautiusve educti, vel liberioris disciplinæ assueti, prima vice peregrinantes, aut aliam vitæ conditionem aggressi, præsertim a parentibus, consanguineis sejuncti, aut his de improviso orbi, maxime si ejusmodi sensibilia subjecta extra patriam diversas calamitates, morbosque patiantur, aut ob linguæ inscitiam, morum, vestitusque differentiam ab exteris ludibrio habeantur, sicque sine suorum consortio, aliisve animi distractionibus suæ sorti relicti vivere cogantur: hinc alto mœrore detenti, omnem societatem fugiunt, neminique suæ ægritudinis causam patefaciunt.

§. V.

Morbus hic *Belgis*, *Germanis*, maxime autem *Helvetis*, & *Carniolis* sub vexillis servientibus quasi *Endemius* esse a diversis auctoribus deprædicatur: posteriores, patriotæ mei, de causa *Nostalgiæ* serio quæsiti, ut plurimum inscitiam linguæ germanicæ ponunt; evidentem hanc esse causam evincit gentis animositas militaris eorum, qui linguæ periti sponte militiæ nomen dant, aut qui sub vexillis Croaticis, in horum enim vernacula magna est analogia, militant. Ceterum omnes populos hoc morbo laborare posse, mihi certe persuadeor.

§. VI.

§. VI.

Hinc ſapientiſſimum profecto, & omni laude digniſſimum eſt AUGUSTISSIMI IMPERATORIS, & IMPERATRICIS inſtitutum, quo lege cautum eſt, ne quis adoleſcentum Monaſterium quoddam ingreſſus ſe prius voto obliget, donec vigeſimum quartum ætatis ſuæ annum compleverit; ſic enim obviam itum eſt, quo minus talis ſemetipſum, religionemque fallat: nam accidit ſæpe ſæpius, ut adoleſcentes hujusmodi nec ſe, multo minus vota futuræ vivendi normæ agnoſcentes, his perſolutis in lethalem *Noſtalgiam* inciderint.

Quantum vero Militiæ incrementum acceſſurum ſit ex providiſſima pariter AUGUSTISSIMORUM lege, vi cujus uniuscujusque provinciæ filii ſub eodem vexillo, vel ſaltem plerique militant, tempora docebunt; tacito enim hilarique animo militari vitæ invicem aſſueſcunt, alter alterum patria erigunt lingua, & ſi quæ calamitas quempiam illorum affligit, haud difficile erit, quo minus amicus ab amico, quocum puer crevit, conſilium petat, ab illoque vel verbis, vel modica pecunia erigatur: & profecto nulla gens minus ad conflictus bellicos apta inveniunda erat Carniolis, ſi exceperis propria ſponte militiæ nomen ſuum conſecrantes; neque mirum, cum haud capti, & inſcii linguæ, mox inter cochortes teutonas diſtribuebantur, quin prius parentibus, amicis, patriæve valedixerint, jamque germanis cohortibus ſubjecti, militare exercitium ob inſcitiam linguæ non facile diſcentes, Noſtalgici plerique perierunt. Binas has ſufficientes cauſas *Noſtalgiæ*, mortisque in patrio-

motis meis fuisse, certo certius persuasus sum: quid ergo educationem Carniolæ juventutis, aut fictas melodias, quas, etsi in nucleo Carnioliæ natus, perque varias ejus partes digressus, profecto ignoro, pro causa hujus morbi asserere certus *quidam auctor* necessum habuit?

§. VII.

Nostalgiæ species hucusque tres observatæ leguntur, quarum prima *idiopatica*, altera *complicata*, ultima demum *simulata* nuncupatur: has ergo speciatim, & seorsim considerabimus.

§. VIII.

Prima species *idiopatica*, quæ etiam aliis *simplex* dicitur, illa est, quæ cum nullo alio morbo complicatur, subjecta ceterum sana jacta causa adoritur, per se decurrit, & etsi morbus prima fronte levis videatur, non tamen ideo ridendus, cum vel ipse lethalis evadere possit, vel diriſſimum morbum Melancholiam nempe cum materia, ut effectum, post se relinquere soleat.

§. IX.

Secunda species *complicata*, seu etiam *symptomatica* appellatur, & illa est, quæ plerumque gastricam, synochum, hæmitritæam, tertianam, aliamve febrim comitem habet, & ob eam ratio-

nem complicata audit. Hæc ſpecies periculoſior, imo periculoſiſſima pro ratione febris conjunctæ.

§. X.

Tertia demum ſpecies *ſimulata* dicta eſt, quam juvenes, cujuscunque tandem conditionis, habitus corporis cæterum ſani, aſtute fingunt; in illis plerumque detegetur, de quibus, ſtatum ſuum averſari, ſuſpicio habetur.

§. XI.

Signa autem, & *ſymptomata* primæ ſpeciei ſequentia ſunt: Æger a principio incipit taciturnus, & meditabundus magis fieri, ſæpius inadvertenter in- vel extra conſortium ſuſpirat, tacite obmurmurat, parentum, conſanguineorum, patriæve deſiderium teſtatur, in omnibus mœſtitiam oſtendit, ſolitudinem quærit, fit moroſus: dum vero ſpes parentes, patriamve adeundi affulget, ſubridet, hilaris fit, mox tamen ſuccedit mœſtitia major cum ſuſpiriis, cibum potumque averſatur, color nativus perit, quicum & calor, vires, ſenſusque labaſcunt, ſæpe his cardialgia, ſpaſmi ſeſe jungunt, accedit agrypnia, pulſus inordinatus, excretiones naturales ſupprimuntur, quæ omnia in dies augentur; tandem febris hectica ſub veſperas exacerbans ſuboritur, fit extenuatio totius habitus manifeſtior, facies *Hippocratica*, quam tragœdiam tandem claudit mors. In hac ſpecie unam, al-

alteramve maculam sub fine vitæ se auctores observasse perhibent: quod, licet in secunda specie non tam mirum, tamen in hac ex eadem ratione, ut in phtysicis sub mortem, factum credo.

§. XII.

Dixi secundam speciem variis febribus conjunctam esse, hinc necessario signa, & symptomata pro ratione febris erunt diversa: verum hæc recensere animus non est, cum ex fonte semejologico hauriri possint: suppositа itaque notitia febris, si observaveris, præsertim tempore remissionis, aut intermissionis, taciturnitatem, mœrorem, suspiria præsertim nocturna, & post vigorem febris suborta, jactitationem, & inquietudinem corporis, aversationem cibi, potusque, attamen hæc omnia non ex delirio quodam febrili desumenda, si pulsum solito lentiorem, aut debilem, inæqualem, aut, quod rarius, penitus intermittentem observes, si præterea lachrymantem videre contingeret, interroga, an non quempiam suorum præsentem exoptet? Mox desiderium vel parentum, vel suorum amicorum, vel demum reditus in patriam hilari ore, facieque testabitur, spem fac, & pulsum omni nota meliorari videbis.

§. XIII.

Tertiæ speciei signa sunt: Bonus corporis habitus, color, calor naturalis, appetitus bonus, excreta assumptis & consuetudini respondentia,

omnia bene cocta, robur musculorum, æquabilitas respirationis, pulsusque, aversatio medicamentorum, præsertim amarorum, ut & diætæ tenuis; his vero maximam lucem affundit notitia aversationis, status, conditionisque vitæ præsentis.

§. XIV.

Jam ad *causas* progredior, *proximamque* in vitio imaginationis consistere dico, & hoc ideo, cum fere omnes, aut saltem plerique, sine medicamento, ex solo apparatu ad iter in patriam, aut cognatos suos convalescunt; *remotæ causæ* sequentes sunt: Vexatio, irrisio, ludibrium exterorum, sive ob ignorantiam linguæ, vivendæ rationis illorum hominum, quibuscum vivere coguntur, sive quod vestitus talis advenæ irrisionis ansam præbeat: præterea si molliter, lautius, aut liberius educti juvenes vitam duram extra patriam ducere cogantur, inter quos maxime adolescentes milites, aut monachos, qui vel vi, vel blanditiis parentum ducti, vel minus solide status præsentis incommoda pensitantes, monasterium ingressi sunt, reperire erit; tum juvenes illi, qui parentibus, consanguineis, patronisve aliis orbantur, vel ab his deseruntur, tam consilio, quam necessaria moneta. Huc privatio amoris, honoris, libertatis, inopia cujuscunque rei, tum illi animi affectus, qui animam mœstam, & meditabundam faciunt. Jam an non aër ad *Nostalgiam* quid facere videtur? Mihi sane: aër enim pro varia sua qualitate varie quoque corpus afficere solet, quod dudum jam Pater Hippocrates his verbis expressit: *Aër*

in

in omnibus, quæ corpori accidunt, maximus & auctor, & dominus eſt. Poteſt autem peccare calore, frigore, ſiccitate, humiditate, denſitate, raritate, levitate, & gravitate; maxime vero nocet aër ille incluſus dictus animalium, aut hominum exhalationibus inquinatus, qui plerumque in carceribus, noſocomiis, inque parvis aliis habitatiunculis invenitur, qui omni reſpiranti anxietatem intolerabilem parit; hæc qualitas ultima, tum & denſitas & gravitas aëris, quantum corpus hominis prius in puro, ſicco, levi, & continuo luſtrato aëre, montano dicto, vivente mutet, *Phyſiologis, Pathologis* præſertim *Practicis* patet, cum dudum hæc phœnomena explicare vos una mecum *Phyſiologia* docuerit, hinc tantum hoc notabo, tres has qualitates Atmoſphæræ maxime *Noſtalgiam* producere poſſe. Favet adhuc huic morbo plethora, bilis corrupta, ſaburræ aliæ primarum viarum, morbi præſertim febriles, & hinc etiam cauſæ eorum, obſtructiones viſcerum, & ſi quæ aliæ.

§. XV.

Cauſis enarratis paucis *Prognoſim* uniuscujusque ſpeciei faciam: *Noſtalgiæ ſimplicis*, ſeu *Idiopathicæ prognoſis* minus periculoſa eſt, non tamen ideo morbus negligendus, nam caſus practici lethalitatem docuerunt, præſertim ſi ægris omnis ſpes liberi reditus ad ſuos, aut in patriam adimatur. Sed & ejusdem ſpeciei prognoſis periculoſior eſt ratione loci, ſic in caſtris, hibernis, carceribus, noſocomiis plurimos mortuos hiſtoriæ medicæ teſtantur. Male certe agunt illi Medici,

qui tales ægros non ſolum rident, ſed etiam oppropriis excipiunt, nam Medicum manſuetum eſſe, erigere ægros, & opem ferre oportet.

§. XVI.

Prognoſis ſecundæ ſpeciei *Noſtalgiæ* nempe *complicatæ* peſſima eſt; quis enim eſt, qui ignoret, quantum animi tranquillitas, & ſerenitas, tam in cura, quam in prognoſi boni polliceatur? Contra vero, quantum non periculum auget, ſi contrarium obtineat? Febres conjunctæ per ſe morbi periculoſi ſunt, uti gaſtrica, ſynochus, hæmitritea, tertiana, quas adhuc multo periculoſiores ſymptomata *Noſtalgiæ* ſuborta reddunt, cum non raro primo morbo malignitatem inducere ſoleant. Sit ergo prognoſis circumſpecta.

§. XVII.

Tertiæ ſpeciei *Prognoſis*, ſcilicet *Noſtalgiæ ſimulatæ*, cuilibet patet; ægri amore tamen, ne forte a ſuis præpoſitis ob aſtutiam ſuam nimis ſevere caſtigaretur, eum ægrotare, ſed tamen facile curatum iri, ſalva conſcientia dicere licebit.

§. XVIII.

Therapiam Noſtalgiæ Idiopathicæ maxime pharmaca moralia abſolvunt, quæ itaque ex amicorum, præſertim patriotarum conſuetudine, ſermone

mone patrio, ludis, theatris, deambulationibus, peregrinationibus, commeſſationibus prudenter inſtitutis, tum & ſufficienti, vel ſaltem neceſſaria nummorum copia petuntur: Medicus interim ex cardiacis lenioribus præſcribet, quorum ſelectum, & formam materia medica dabit; medicamentum vero tale non ſolum languorem fugabit, ſed etiam mentem hilariorem reddet, atque ſecretiones naturales promovebit. Præter hæc amaris anorexiæ ſuccurrere poterit: Agrypnia emulſione narcotica, vel alio hujusmodi medicamento ſub noctem dato ſopietur. His tamen omnibus incaſſum adhibitis, ſi morbus gravior eſſe incipiat, unicum auxilium ſupereſt, reditus nempe ad ſuos, patriamve; licet enim noſtalgici proſtrati, debiles, vix e lecto ſurgere poſſint; tamen, cum certa ſpes eſt, ſe brevi in patriam reverſuros fore, mox melius ſe habent, vires reſtaurantur, & in ipſo itinere ſæpe penitus convaleſcunt, quibus vero ea ſors eſt, ut vel ex noſocomiis, vel carceribus, aut apud ſuos recipi non poſſint, aut quorum vitæ conditio non amplius permutari poteſt, aut ſi parentibus, omnique fere humano ſubſidio orbi ſint, in his omnis cura tam chirurgica, quam pharmaceutica unacum morali fruſtranea erit, & omnes certo certius morientur. Evacuantia vero, ſub quocunque titulo præter indicationem data, ipſis ſumme nocent: excipe tamen plethoram, ubi venæſectio, ſaburras varias, ubi modo emeticum leve, modo ecçoproticum indicatur, & juvat.

§. XIX.

Noſtalgiam complicatam, ſeu ſymptomaticam febri gaſtricæ, ſynocho, hæmitritææ, aut tertianæ plerumque conjunctam eſſe dixi; his vero febribus per ſe decurrentibus ſæpiſſime lingua glutinoſa, obſeſſa cruſta ex albo flavicante, nauſea, vomitus, capitis dolor, anorexia &c. ſeſe jungere ſolent, nam febrium harum cauſa frequens eſt nimia ingurgitatio, & ingeſtio ciborum, ſive quantitate, ſive qualitate peccantium, tum & bilis ipſa corrupta prægreſſo nimio æſtivo calore: ſi ergo ex tali cauſa materiali hæc ſymptomata propullulant, evacuante opus erit. Verum cum *Noſtalgia* hæc ipſiſſima ſymptomata ex ſingulari quadam nervorum affectione, & rariſſime ex materiali quadam cauſa ſibi conjuncta habeat, opus erit, Medicus quam circumſpectiſſimus ſit, omnia bene penſitet, an hæc phœnomena ſymptomata morbi, an vero phœnomena ſymptomatis epigenomena ſint, ut quantum poſſibile ſe certum reddat, an evacuans dandum ſit, nec ne? Memores enim nos moniti GALENI eſſe oportet, qui *pharmacum Medico tam diu obedire, quamdiu in ejus manu, exhibitum non amplius obtemperare* monet. Si ergo ſaburra, ſeu bilioſa, ſeu alia putris certo præſens cognoſcitur, exhibendum eſt evacuans, & bonos præſtabit effectus; nam hoſtium turbis primariis pulſis, minori vi reſiduæ pellentur. Ille vero, qui emeticum mox ad nomen nauſeæ & anorexiæ ſine præmiſſo ſevero examine porrigeret, is, ita *Clariſſimus* DE SAUVAGIUS affirmat: *Potius animam foras ejiceret, quam illam, quam ſibi fingit ſaburram.*

De

De cætero mox ad Corticem Peruvianum cum prædicto Auctore fere omnes ſcriptores confugere monent: nonne ob febrim, vel jam a principio malignam, aut in malignam tranſmutatam? Præterea emulſiones cum ſufficienti narcotici doſi veſperi ſunt exhibendæ: inſimul etiam proxima ſpes redeundi in patriam ægro facienda eſt, imo debilis, febri detentus adhuc, vel rheda, vel lectica ad parentes eſt dimittendus; nam hic ſolus itinerationis apparatus proximus plus valet ad morbum abigendum, quam omnia remedia vulgaria; imo ſunt aliqui, qui ex ſola perſpecta libertate patriam ſuam repetendi, illico convaleſcunt, & *Noſtalgiam* pellunt, licet patriam ſuam non repetant; ſed ſatis eſt, ſi ſaltem æger fere in medio itinere vires, & paulo poſt ſanitatem recuperet.

Si vero *Noſtalgia* tertianæ complicatur, ægerque ſimul obſtructionibus abdominalibus laboret, ſolventibus, ſalibus mediis, amaricantibus prius exhibitis cortex dandus, aut ſi periculum ob paroxyſmos vehementiores his ſimul jungendus erit. Mediam ante omnes curam abſolvit Medicus patriota, cum audita paterna lingua fiduciam ſimul majorem reſtituendæ ſanitatis æger acquirat, ſolaque hac occaſione jam plurimum erigatur.

§. XX.

Noſtalgici ſimulati autem plerumque aſtutia ſua jam noti monitis primo blandis, & clandeſtinis, diæta tenui, tractione frequentiori ſetacei ad

nucham facti, pulvere quodam amaricante ex *gentiana*, *chamæpyti*, *absynthio &c.* curantur; novimus enim amara a plerisque respuitum, & digestionem citius absolvere, appetitus sensum fortissimum excitare, ob quas rationes cibis facile diffandis, rariusque exhibitis ventriculus sani hominis haud diu obediet: tandem si ultra modum pertinax foret simulatus, minis, & severioribus auxiliis ad rationem perducendus erit. Attamen haud credo his opus fore, cum diæta tenuis, & pulvis amaricans ipso simulato morbo certo certius brevi imponet finem.

X.

JOSEPHI CSEH SZOMBATHY,

COMAROMII - HUNGARI

DISSERTATIO

DE

MORBIS GLANDULARUM SECUNDUM ÆTATES.

PROOEMIUM.

Glandulæ & cum reliquo corpore ægrotant, & peculiares sibi acutos æque ac diuturnos morbos habent. De his aliqua HIPPOCRATES, vel qui sub ejus nomine latere voluit, prodidit a). Celeber-

a) In libro de glandulis.

berrimus vero *Richardus* Russel editis duobus utiliſſimis libellis a) hanc doctrinam præ aliis ulterius excoluit, cujus in multis auctoritate uti non dubitavi.

Duos mihi fines in hoc Tractatu propoſui: primum ſtatum glandularum ac totius corporis, in ſingulis ætatibus examinare; deinde cuilibet morbo, curationes uſu ac experientia maxime probatas, ex inſtituti ratione breviter adjungere.

Anatome multa adhuc de glandularum natura dubia & obſcura reliquit: ideo harum quoque Pathologia ac Therapia, magnis difficultatibus premitur, ut poſteris ampliſſima meſſis ſuperſit. Quoniam in animo habui glandularum adfectus, ſecundum ætates perſequi: eos, qui ſine ætatum diſcrimine adoriuntur, præterii.

CAPUT PRIMUM.

De Glandularum adfectionibus primis menſibus a nativitate.

Primæ ætati proprium eſt celeriter increſcere, ideoque liberaliùs nutriri. Quo alimentum laudabile ſæpius adſumitur: eo major humorum copia, cum

a) On glandular conſumptions. Item The Oeconomy of Nature in acute and chronical Diſeaſes of the Glands.

cum veloci incremento in corpore naſcitur. Videmus tenellos infantes, quibus & ſanitas integra eſt, & cibus ſalubris abunde præſtatur, in longum extendi, facie, artubus, totoque corpore turgere. Quamdiu hi ea, quæ nutrices cibi potusque cauſa exhibent, apte digerunt, commode ſe habent: ſed difficile eſt in victu tempora, modum genusque conſtituere, propterea, quod rara ſit in nutricibus moderatio, ne aliud quam expedit, aut ejus ipſius nimium ſuis ſuppeditent; quo fit, ut & alimenti copia teneros male habeat, & corrumpatur. Quæ incommoda eo magis neceſſario contingunt: quod in infantibus viſcera debilia, humores omnes aquoſi ac tenues, bilis fere ſine acrimonia, non facile naturam adſumtorum mutent.

Benigna igitur ſemperque vigil Natura, in hac vitæ periodo, cutem raram, os naresque perpetuo humore madentes, alvum mollem ac ſolutam eſſe voluit: ut ſi quid redundet oneri futurum, protinus emittatur. Atque hæ evacuationes recens natos, non ſolum in ultima pueritia periculo eripiunt: verum etiam procedentibus temporibus incolumitatem promittunt.

Neque hæc obſervatio nova eſt. Hippocrates in libro, de morbo ſacro prodidit: *Quibuscunque*, inquit, *dum pueri ſunt, erumpunt ulcera in caput, in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſalivoſi fiunt ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facillime degunt.*

Raro

Raro autem solis his modis plenitudo tollitur, quin aliæ continuo secretiones cum bonis ægri rebus succedant. Systema ergo glandularum molle adhuc & laxum, ob eamque causam fluxionibus recipiendis opportunum, in primis hac ætate morbis patet. Quorum quæ natura sit, quaque prudentia, in iis tractándis Medicum se gerere deceat, proponam.

Glandulas itaque sub cute sedentes, omnium primo abundans noxiusque humor occupat: hinc nuper natos puerulos, manantia capitis ulcera, eruptiones in ea parte, quæ capillitio tegitur, aurium humiditas, inguinum exulcerationes exercent: neque cutem rumpi aliis in locis rarum est.

In morbis his cutaneis præsidium secundæ valetudinis Medici tum antiqui, tum recentiores quæsiverunt: quoniam largas ejus generis excretiones saluti, suppressas multis exitio fuisse deprehenderunt. Emanat ex ulceribus sanies parcius, vel copiosius, suntque quibusdam molesta, & diuturna satis: donec supervacuo humore emisso, sponte naturæ coëant; aliquando degenerant, cutemque quam contingunt, erodunt.

Vires laboranti conservare, ulcera depurare, effluxum materiæ morbum committentis prudenter regere, in hac curatione præcipua sunt. Aër purus & siccus, mundities, lac nutricis sanæ, junioris, victu blando utentis, exercitium corporis, quod his ætatibus convenit, vires præstant. Sordibus in ulceribus recte succurritur: si adfectæ partes, cerevisia, vel vino tenui, cui tantillum butyri, & sacchari additum est, crebro eluantur. A

diu-

diuturnitate ulceris raro periculum imminet, quare si sanitas constet, humor utiliter effunditur; si vero corpus consumi cœperit, ideoque longam jacturam non amplius pati posse videatur, parti maxime laboranti subveniendum est. Sed salutares istius generis excretiones intempestive cohibere non erit sine gravi noxa: continuus enim ad dormiendum conatus, eructationes pituitæ tenacis, ructus acidi, vomitus, flatus, pavores, vigiliæ, livores, circa os, oculos, testes in masculis, dormientibus penis erectiones, convulsiones, vitæque finis instabunt.

Medici consulti, sanguine misso; cantharidibus admotis, fonticulis, setaceis, secretionibus consuetis auctis, salutem moliuntur: quæ medicina ut necessaria, ita quandoque sera est. Plus in hac ægritudine sibi Natura, quam ars vendicat, multoque sæpius proficit: utpote, quæ inutili humore ad glandulas intestinalis tubi rejecto, diarrhæaque concitata, ægrum restituat.

Verum cum posui, alvum fluere frequentius etiam quam ex consuetudine, in hoc adfectu pro valetudine esse: accidere tamen posse, ut non impune feratur, subjungam. Interdum enim febriculas, dejectiones virides, biliosas, tormina, crurum ad abdomen contractiones, ac insultus epilepticos excitat: quæ mala nisi removeantur, æger extinguitur. Nobile remedium ex absorbentibus & rheo *Illustris* HARRISIUS jure suo celebrat a): Quod ne-

a) In Tractatu de morbis acutis infantum.

neque impetum ventris continuo prohibet, & turbas ſopit.

Illud interrogari me poſſe ab aliquo ſcio: ſi hæc non reſpondeant, moriturusque infans videatur, utrum papaveris lacryma propinanda ſit? Cui ſubjiciam: non quidquid intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus ejiciendum, ergo tale quid ſemel ac parce recte dari exiſtimo, quo & deliberationi, & mutationi remediorum tempus pateat.

Inflammationes quoque circa umbilicum, puerulos primis menſibus fatigare HIPPOCRATES animadvertit, unde glandularum ejus loci acris humiditas abdomen lædit: hanc calamitatem incuria nutricum adducit, eamque paullo curioſior mundities brevi tollit.

In hac etiam morborum claſſe continetur, peculiaris in glandulis adfectio, quam Græci Aphthas, Latini ſerpentia ulcera oris nominant. Horum, quæ origo & cauſa ſit, equidem me ignorare fateor: eo, quod illarum rerum uſus, quas Aphtharum cauſas auctores ſtatuunt, earum generationem remoretur. Certius eſt, ut habitu conveniant: indole tamen ab adultorum Aphthis multum differre. Aphthas in adultis integra Diſſertatione complexus eſt *Vincentius* KETELAERTIUS a). Magni BOERHAAVII Commentator illas exanthematibus miliaribus analogas cenſet b).

Aph-

a) De Aphthis noſtratibus.

b) Swietenii Comment. Tom. III. ad Sect. 982.

Aphthæ in infantibus duplici ratione se produnt: interiora labiorum, oris, faucium, totiusque alimentalis ductus, procedente morbo, crustæ albidæ, cremoris lactis non dissimiles occupant; interdum pustula primum una alterave, in labiis aut lingua observatur, ex quo principio se malum per loca vicina, late diffundit. Aliquando vero Aphtharum origo in ventriculo est: quosdam enim ructus, singultus, pluraque hujus visceris vitia prius fatigant, quam maculæ albæ in postica faucium parte elevari videantur. Recedere rursusque redire consueverunt. Quos Aphthæ male habent, somnus, febricula, inquietudo, oris inflammatio, ac dolor, sternutamenta, raucedo, gulæ asperitas, tussis, destillatio urgent. Hæc communia & levia, plusque incommodi quem periculi habent: sed pestiferum est fluxionem ad glandulas, quæ asperam arteriam plurimæ, circumstant penetrasse, tum enim infantes difficultate spirandi strangulantur, subitoque moriuntur. Si eadem ægritudine intestina ipsa corripi contingat: dysenteria, cæteraque excoriati canalis cibarii pericula ingruunt. Ubera infantibus aphthosis, plerumque sine metu contrahendæ labis præbentur: jure nihilominus hæc ulcera nutricibus invisa sunt, quia non insolitum est, mammam qua parte contingitur exulcerari.

Galenus *facilè* inquit *Aphthas placari, si infantis os, cibis & potibus insuetum modice adstringas*: quod inter initia, morboque leviori sufficere potest. Symptomatum syndrome, alvum leniter ducentia, absorbentia, detergentia & exsiccantia externe adplicata requirit. De linimentis duobus, quæ maxime ex usu esse comperi, referam. Prius boracem cum syrupo violarum reci-

pit. Posterius RIVERIUM auctorem habet a): si inquit, non sit inflammatio, unicum & summum remedium est spiritus vitrioli aut sulphuris. In pueris permiscetur dictus spiritus, cum melle rosaceo ea proportione, ut leviter linguam feriat, & cum penicillo ex linteo, baculo alligato, Aphthæ illiniuntur frequenter, ac cito curantur. Quod si non levet: addatur alumen ustum majori vel minori dosi, prout adfectus vehementia postulare videbitur.

Exulcerationes nutricum, aqua calcis vivæ, ceratoque impositio, curationem recipiunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Morbis glandularum in Dentientibus.

Hujus periodi morbos ex HIPPOCRATE b), hunc in modum expressit CELSUS c): *Propria*, inquit, *dentientium gingivarum exulcerationes, distentiones nervorum, febricula, alvi dejectiones, maximeque caninis dentibus orientibus male habent: quæ pericula plenissimi cujusque sunt, & cui venter maxime adstrictus est.*

Denti-

a) Prax. Med. Libr. VI. Cap. 5. pag. 289.

b) In libro Aphorismor. Sect. III. Aph. 25.

c) De Medicina Lib. II. Cap. 1.

Dentitio incipit ſeptimo, octavo, nono, vel decimo menſe, ſerius aut citius pro incrementi corporum ratione: ac quarto plerumque anno finitur. Hoc in negotio lente Natura procedit, ſenſim vaſa diſtendit, partesque diducit, quo fiat expeditior denti tranſitus: gingiva igitur ante ejus eruptionem circa dentem crebrius intumeſcit ſubſidetque.

Duo ſunt ſtadia dentitionis infantibus moleſta: prius, quo dens oſſe maxillari primum emergere nititur, & quo gingivæ pars ſuperior ac extera, circulo quodam albido circumſcribi ut plurimum ſolet: poſterius, quo dens mole jam auctior, & amplior factus, gingivam tumidam reddit, inflammationem inſignem in eadem parit, illamque perrumpere conatur.

Inter omnes adfectus, qui vitæ infantum interminantur, nullus tot gravia ſymptomata progenerat, quam dentitio laborioſa. Propoſiti memor, morbos, qui glandulas invadunt, remediaque ſingularum laborantium partium exequar, orſus a faucibus.

Ubi gingivæ tenſæ inflammationem adſciſcunt: tonſillæ, œſophagi, ac pulmonum glandulæ intumeſcunt, humorque in illas deſtillat, qui fauces exaſperat, tuſſim movet, vocem obtundit; ſaliva profluit, glandulis ſalivalibus adfectis.

Faucibus ſubeſt ſtomachus, in quo etiam nunc plura incidere vitia conſueverunt: humorum ſeroſorum ac noxiorum illuvies adoritur, & tunicas ejus adeo oblinit, ut functiones naturales plane

pervertantur. Ideo dentientes medicamina & alimenta vomitu reddere; pituitam habitu ac colore diversam vomere, spiritum gravem emittere vulgare est.

Neque minus hæc calamitas intestinales glandulas adfligit: venter flatibus impletur, tormina, alvus fusa vel suppressa, unaque symptomata omnia, quæ ventrem plus æquo fluentem, aut nimis pigrum excipiunt, comitantur.

Cuncta hæc ex eodem fonte proveniunt, quippe quod dens ex alveolo facile in conspectum erumpere nequeat. Summa ergo ope niti decet, ut illius eruptio promoveatur, quod obtinetur emolliendo & relaxando gingivas, comprimendo illas contra dentes corporum durorum glabrorumque affrictu, incisione veiculæ albæ, quando dens jamjam adparuit. Ut autem dentis explicatio ægrum expeditissime sublevet: interdum tamen a symptomatibus curationis tela ordienda est.

Quare si ventriculus ab irritatis nervis tam graviter adficiatur, ut nulla medicamenta, ne dicam alimenta paulisper retinere queat: æquum videtur & necessarium, ut ad Narcotica transgrediamur. Ubi stomacho pituita gravis est: si nihil impedit, cum fructu & satis tuto emeticis pugnatur. Quem ventris fusi mala detinent, quo auxilii genere utatur, a me Capite primo comprehensum est. Si venter nihil reddit: febrim accendit, cerebrum lædit, convulsiones movet. Primum est alvum ducere, & abdomini, quæ emolliant imponere: deinde sanguinem incisa vena, vel hirudinibus pone aures adhibitis mittere, si a plenitudine

per-

pernicies imminet, quod nihilominus perpetuum non est; neque alienum erit in nervorum distentionibus, virtutem spiritus cornu cervi experiri.

CAPUT TERTIUM.

De Morbis in glandulis a dentitione, usque ad tempora pubertatis.

Ubi paulum annis processum est, sic tamen, ut nondum perventum ad puberem ætatem sit, pluribus ægritudinibus glandulæ objectæ sunt. Facilius autem omnium morbi, curationesque in notitiam venient, si prius eorum naturam in universum breviter ostendero.

Infantis in otio & somno, lacte solo fere sustentatus, tepore cubiculi ac lecti fotus, vitam degit: puer corpus exercere, cibis valentioris materiæ uti, aura liberiore frui incipit; in hoc igitur cutem compactiorem, densiora fluida, solida rigidiora, oculus percipit. Sensim vero ac lente admodum has mutationes induci æquum erat: quo puer adolescere justamque in molem increscere posset. Fibræ ergo licet roboris aliquanto plus, non adhuc tamen satis habebunt, minus elasticæ, laxæ, ac debiles erunt. Unde facilem vasculorum ex fibris conflatorum extensionem, rupturam, in sua contenta liquida inertiam, tumores a distendentibus, putrefactiones a stagnantibus vel extravasatis liquidis, tum ea, quæ ex binis hisce sequuntur infinita mala, oriri necessum est. Atque cuncta hæc

in primis glandulis impendent, quibus molliſſimam fabricam, & humores ad motum pigerrimos Natura dedit. Sed glandulas ſubcutaneas, cutis jam denſior, ſubjectique robuſtiores muſculi tutas præſtant, interiores itaque quibus hæc præſidia deſunt, ſi quid vitii in corpore naſcitur præcipue lædi oportebit.

Origine adfectionum glandularium hujus ætatis, veluti in conſpectum quemdam, quatenus ſcire curandi neceſſarium eſt adducta: ipſas prout in ſingulis partibus conſiſtunt, explicabo.

Pueris uſque ad pubertatem, & puellis ad menſtruæ purgationis initia tonſillas fieri HIPPOCRATES adnotavit a); quarum cauſam ARETÆUS inde repetit b): *Præcipue namque*, inquit, *pueri, multum frigidum aërem inſpirant, quoniam in his plurimum caloris ineſt, & ad cibos intemperantes ſunt, & varia concupiſcunt, & frigidam potant, & excandeſcentes ac ludentes, altius vociferantur.* Adſurgere ac rurſus detumeſcere tonſillis ſolemne eſt. Equidem non facile inflammantur, vel abſceſſum formant; ſed natam ſemel ſuppurationem levibus de cauſis ſuſcitari obſervationes loquuntur.

Tonſillarum curam eleganter tradit CELSUS c). Illis inflammatis eadem methodo, qua inflammato-

a) Sect. III. Aph. 26.

b) De cauſis & ſignis acut. morb. Lib. I. Cap. IX.

c) Lib. VI. Cap. 10. Item Lib. VII. Cap. 12. No. 2.

matoriæ anginæ ſuccurritur: reſolutio tentanda, præſertim gummi guajaci exhibito, quod debitis evacuationibus præmiſſis inſtar ſpecifici in hoc morbo operatur a). Ea ſi non obtineatur: abſceſſus ad maturitatem perduci, pureque liberari debet. Tumoribus tonſillarum chronicis, in inciſione chirurgica auxilium eſt.

Sed columellæ vitia quosdam a prima, ut videtur conformatione frequentius infeſtant. Horum deſcriptionem b) & medelam c) accuratiſſime, ut omnia exponunt ARETÆUS ac CELSUS d). Ea, vel laxatur, vel quod rarum eſt inflammatur. E palati extremo propendet, inque fauces & gulæ caput fertur, itaque hæc loca titillatione quadam afficit, metuque præfocationis ſollicitat. Creſcente inflammatione imo ejus pars grandeſcit, ſumma tenuis eſt, tuncque malo HIPPOCRATES uvæ nomen dedit. Idem obſervat e): quos infantes dum lac ſugunt tuſſis urget, uvam majorem habere.

Raro hic morbus, ſi protinus ab initio recte curari cepit, hominem tollit. Quare ubi uvulam inflammatione obſideri contingit: ad gargariſmata ex adſtringentibus & diſcutientibus deveniendum: utileque eſt linimento volatili aliquoties in die cer-

a) Franc. Home princ. med. libr. II. Part. III. Sect. 2.

b) De cauſis & ſignis acut. morb. Lib. I. Cap. VIII.

c) De curat. morb. acut. Lib. I. Cap. 8.

d) Lib. VI. Cap. 14. Item libr. VII. Cap. 12. No. 3.

e) De dentitione.

vicem perungere, dein pannis laneis tegere. Interdum ſal gemmæ vel ammoniacum, ex AVICENNÆ conſilio, uvæ admotum ſolum ſufficit.

Illud præterea in hoc adfectu animadverſione non indignum eſt, quod inflammationis, quæ modo conquievit, facilis alio tempore reditus ſit: quo fit, ut hæc pars evadat æquo longior. Tunc ſpiritum difficilem, tuſſes, moleſtamque deglutitionem efficit, ſic ut aliquando ſumta pocula per nares reſiliant. Nulla re melius, quam particula ſupervacua præſecta periculum cavetur.

Venio nunc ad Rachitidem, genuinam fibræ debilis & laxioris glandularum ſyſtematis ſobolem. Infantes a ſexto menſe nativitatis ad ſeſqui annum frequenter; ab hoc ad finem ſecundi anni cum dimidio frequentiſſime; ſed poſt annum ætatis quintum fere numquam hoc morbo corripiuntur. A prima origine articulationum glandulæ, oſſiumque capita fluxionem recipiunt; protuberant epiphyſes, ad juncturas radii, ulnæ, humeri, genu, tibiæ, fibulæ; coſtæ qua parte ſterno committuntur, in nodum adſurgunt; cutis laxa, tumor faciei œdematoſus, caput magnum ſuturis amplis interſtinctum, flacciditas in muſculis accedunt. Scrophularum incipientium ſigna, infarctus glandularum meſenterii ac colli, in vivis mortuisque adparent. Experientia conſtitit, pleniſſimos quosque ex infantibus, & quibus ſuturæ hiantes caput ampliſſimum reddiderunt: rachitide, ſcrophulis, epilepſia, aphthis pertuſi, cæteris gravius mulctari.

Cum

Cum propofuerim, quantum ad præfentem fcopum attinet rachitidis ingenium: ad ea figna tranfibo, ut quas aliquis habere notas poffit, fauftus triftisve fit curationis exitus, indicem. Quibus Rachitidem error in regimine vitæ induxit, facilius fecundâ valetudo contingere poteft, quam his, quorum corpora præcedentes morbi vitiarant. Quo grandius caput, articulationum prominentiæ majores, offa magis incurvata: colligere licet, morbum etfi non interemerit, eo tamen longius tempus habiturum. Hydrocephalus, afthma, phthifis pulmonalis, hydrops, febris hectica, lues venerea, fcorbutus, periculum mortis fubeffe teftantur. Eruptio cuticularis & calor, medelam accelerant.

Cognitis indiciis, quæ nos vel fpe confolentur, vel metu terreant: ad curationem morbi tranfibo. Eliminanda ferofa colluvies vomitoriis & rheo, certis intervallis repetitis: poftea laxa partium firmarum fabrica roboranda exficcantibus, amaris, martialibus, cortice peruviano, balneo frigido fi vires fufficiant, frictione, exercitio moderato, uti cunarum agitatione, rheda, artificiali corporis fufpenfione, vel geftatione; diæta exficcante aëreque ficciffime Levretus vir in arte obftetricia magnæ auctoritatis, radici rubiæ tinctorum, Boyleus enti veneris, ni naufeam moveat, Marckius infufo glandium toftarum quercus, in Rachitide celebre nomen conciliarunt.

Frequentes ubique hac ætate, ac utrique fexui maxime familiares funt adfectus ftrumofi generis. Vifcidis humoribus infarctæ tument & indurantur glandulæ parotides, maxillares, fublingua-

les, lacrymales, thyreoideæ, alarum, mammarum, inguinum, pulmonum, meſenterii, aliorumque viſcerum. Commune illis eſt non facile matureſcere, longo ſpatio detinere, febres interdum movere, ac plerumque juxta cicatrices reſurgere. Pernicies ut ſedes ſunt: deformitas, lippitudo, oſſium caries, ſpina ventoſa, ancyloſis, febris lenta hectica, aſthma, malus corporis habitus, phthiſis, atrophia, hydrops, ſudores colliquativi, maraſmus, interitus. Tumores externi oculo patent, ſed in hoc præcipua ars eſt, quæ ſymptomata æſtimat, indeque colligit, interioribus ſedibus labem ſimilem ineſſe: fit enim, ut quæ medendi cauſa ægris dantur, nonnumquam adfectum in pejus aliquibus vertant. Glandulæ ſalivales & colli crebrius laborant: quod frigori, compreſſioni, & contrectationi magis pateant. Si hæc genera morborum neque pubertate, neque prima venere, neque in fœmina primis menſibus finiuntur: fere longa ſunt, & ſpem ſanationis tollunt. At per ætatis & habitus mutationes in juvenibus, ita ſponte ſua quandoque deſinunt, ſtrumæ in primis ſcrophulæ & epilepſiæ: ut ſanitas integra reddatur. Atque hinc ut opinor origo tactus ſanantis regii, multiplicisque medicinæ repetenda: ut magis quid quiſque perſuaſerit ſibi adpareat, quam quid evidenter compererit. Vere maxime quibus hæc ægritudo ante pubertatem non evincitur, in metu eſſe conſueverunt. Antiqui morbis glandularum implicitis, talia potiſſimum ingerebant, quæ acidum in primis viis corrigere, chylumque blandiorem reddere apta nata ſunt: nec in eo vanam rationem ſecuti videntur.

Cura-

Curationis cauſa tumores ſtrumoſi generis in duas ſpecies dividam, quatenus horum aliqui in exterioribus corporis ſedibus conſiſtunt, alios ratio potius quam ſenſus attingit. Non quod inter ſe multum diſcrepare credam: verum quoniam interiora viſcera, medicamentis duntaxat per os aſſumtis recreantur; in externis vero partibus, ut hæc negligenda non ſunt, tamen etiam manu curari debeant.

Idem in utriſque Medentis ſcopus eſt: ſanguinis reliquorumque humorum pravitatem corrigere; poſtea ipſos tumores auferre. Atque ambabus indicationibus, quoad internos adfectus, eadem fere ratione ſatisfit. Illud vero ignorari non oportet, tametſi remedia magnis artificibus laudata conjunctim recenſeam: non ideo omnibus ægris eadem auxilia convenire, ſed diverſarum rerum, in modo, ſelectu, tempore, utilitatem eſſe.

Ergo evacuationes, quæ fiunt ſanguine miſſo, vomitoriis, purgantibus amaris, reſolventia, quæ modice ſtimulant, ut ſapones nativi & factitii, vegetabilia aromatica, cicuta, aqua calcis, ſales alcalini fixi, ſpongia ad nigredinem uſta, antimonialia, martialia, mercurialia, ſulphur, aquæ ſulphureæ, cortex peruvianus, aqua marina, balſamica, gummi ferulacea, diuretica, ſudorifera æque ac in lue venerea; ſex rerum non-naturalium prudentior uſus, ſalutares effectus multis dederunt.

Proprie quædam ad eos tumores pertinent, qui exterius ſiti ſunt: hos fonticulis, ſetaceis, medicamentis externis reſolventibus; maturantibus ſi

Na-

Natura ad ſuppurationem tendat; cauſticis vel ferro, ſi chirurgia ſine periculo adminiſtrari queat, amovendos eſſe ſummi auctores tradiderunt.

CAPUT QUARTUM.

De Morbis glandularum, a pubertate ad annum ætatis trigeſimum quintum in viris, & annum quadrageſimum ſextum in ſequiori ſexu.

Ad eam periodum progredimur, quæ vitæ humanæ partem adeo memorabilem comprehendit: ut ob illam cumprimis omnipotentem rerum Conditorem ortos nos voluiſſe prædicari poſſit. Humanæ ſpeciei propagatio, felicitas publica & privata hoc intervallo continentur. Hos fines, ut adſequeretur Natura, quibus gradibus habitum corporis pueri, ad eam perfectionem evehat cujus capax eſt, conſiderabo.

Ergo muſculi robuſtiores, ſulcos & foveas oſſibus nunc profundiores imprimunt; ut & tendinum inſertiones firmentur, & ipſorum actio evadat expeditior. Ligamenta junctiurarum hactenus debilia & laxa, jam firmata magis luxurians epiphyſium ſpongioſarum incrementum inhibent, glandulas in articulationibus poſitas comprimunt: quo ſeparatio ejus liquidi promoveatur, cujus virtus eſt, humectare partes, ne oſſium capita exſiccata, propter frictionem continuam incaleſcant. Canales elaſtici, & cor viribus pollens, imperium in ſanguinem validius

lidius exercent: ita denſitatem in fluidis, calorem-que animalem intendi oportet. Humores omnes elaborati, ſenſuum organa recipiendis mutationibus ab objectis idonea reddunt. Atque his mediis puer imbecillus, languidus, opis alienæ indigus, laxioris compagis, ſenſim juvenis fit; cui pellucida cutis, facies purpureum florem induta, formæ gratiam, robur vero auctum aptitudinem ad obeunda quælibet munia conciliant. Sed & incremento in longitudinem ſerius ocyusve finis imponitur, corpusque ad plenitudinem creſcere incipit, ramis vaſorum collateralibus dilatatis. Credere igitur par eſt, quibus ad hæc tempora ſanitas nullo vitiorum confinio læſa eſt, nunc ſaniſſimos ætatem agere. Illud magis mirum, ineunte pubertate eam ſolidis fluidisque mutationem induci, qua obſtructa viſcera reſerentur, humores viſcidi lentique reſolvantur: itaque difficillimas ægritudines, ſtrumas, adfectus cutaneos, epilepſias, hemicranias, aliasque, quibus ſub jugum mittendis impar medicina fuit, Naturæ benignitate ægros dimittere.

His cognitis etiamnum cauſa noſcenda eſt, a qua tantæ commutationes pendent. Ut primum pubertas venit, diverſi glandularum ordines in actum deducuntur, quarum in eo vis eſt, ut partes, quæ multo modo quam antehac luculentius diſtenduntur, ſtimulent, eaque ratione ſexus utriuſque homines ad veneris gaudia incitent, ut cupide generatim ſecla propagent. Sub annum decimum tertium vel paullo ſerius, inſignis in fœmina mutatio producitur, novo tunc nixu, ſanguis omnis in puella incitatur, mammæ efflorescunt, & pubes, & eodem tempore menſtrua fluere incipiunt. Ovaria, quorum in fœcunditate prærogativa eſt,

ſumme

ſumme turgida ſunt, veſiculæ fluido lymphatico coagulabili replentur. Iisdem fere annis ſemen virile generari animadvertitur, cujus aliqua portio cum humore aqueo in corpus reducitur, ſanguinique addita, odore ſibi peculiari & gravi imprægnat, barbam, pubem evocat, vocem mutat moresque, ſanguinem ipſum nobilitat, ut partes omnes nervoſas perluens, has magis quam antea foveat, oblectet, ac corroboret.

Præmiſi adoleſcentiæ commoda, ut ex his morborum indoles, quibus illa ætas infeſtatur, æſtimari poſſit. In quibus tradendis ea libertate utar, ut primum glandularum adfectiones perſequar, quæ ſexuum diſcrimina non obſervant; deinceps eas exponam, quæ cuique ſexui propriæ ſunt.

Habitu corporum per pubertatem firmato, peccans in glandulis laxitas emendatur, ideoque copioſæ ſecretiones, infanti ac puero moleſtæ, jam ceſſant. Auctum partium firmarum robur, adfectus alterius generis ſequuntur, qui non infirmitate, ſed onere nocent. Morbis inflammatoriis, horumque comitibus febribus, juventus expoſita eſt; nec improbabile videtur, multo eos frequentiores futuros, niſi ſpontaneæ hæmorrhagiæ narium, & menſes in amabili ſexu, febriles motus frangerent. Ubi aliquanto impetuoſior inflammatio invadit: criſes per glandulas fiunt. Solemne multis febribus eſt, ſive graſſentur epidemice, ſeu ſporadicæ ſint, impetum morbi ad glandulas ampliori ductu excretorio præditas converti: ideo glandulæ oris, faucium, colli, parotides, pulmonum, tubi cibarii, axillarum, inguinum, ſæpiſſime adfliguntur.

Hip-

Hippocrates ejusque successores, tumores, qui glandulis a febribus accidunt, ita dividunt, quatenus alii in principio morbi, materiaque ut loquuntur cruda existente adparent; hos communi consensu damnarunt: alios signa coctionis præcedunt; eos pro salutaribus habuerunt: quidam fero nimis, ægri naturæque viribus prostratis conspiciuntur; illos imminentem mortem ostendere prodiderunt.

Magna in his tractandis cautio adhibenda, quia levis error ægrum præcipitat. Agrestes cum reprimentibus continuo experimentum faciunt, officioque Medici satisfactum putant, si tumor subsederit. Ea tentare non alienum esse fateor, si glandulæ sine morbo intumuerunt; si vero ex febribus, illa inimica sunt, maturarique & quamprimum aperiri commodius est. Neque silentio premam, ut hæc facile intelligantur; exequi tamen non æque promtum esse: nam & tarde subinde glandulæ maturescunt, etiam indurantur. Id quoque observasse juvabit, quando nimirum Medicus de suppuratione cogitat, ut manum, nisi quid obstet, a venæsectione, alvique ductione temperet: quæ & maturationem diu trahunt, & malum ad viscera nobilia conjiciunt.

Eodem intervallo periclitantur, quibus prioribus ætatibus, glandulæ obstructæ, nec tubercula resoluta sunt, partim juventæ calore, partim adfectuum vehementia. Si tumores strumosi aurium glandulas obstruxerant: nunc ejus organi dolores, abscessus, auditus gravis, ipsaque surditas, sequuntur. Si glandulæ ciliares debilitatæ ac infarctæ sunt: lippitudines, tunicarumque oculi vitia metuenda.

enda. Si meſenterii pulmonumque glandulas vitioſus humor impleverat, hæmoptoë, ac tabe juvenes rapiuntur.

Natura morborum medicatrix diarrhæa ſpontanea, ſanguinis ex naribus, vel per ora venarum hæmorrhoidalium profuſione, unaque pluribus evacuationibus excitatis, interdum opem fert. Ex quo adparet, his malis obnoxiis, in ſanguinis detractione per venas, temperantia, diæta ex infirmiſſima materia, tempeſtivisque evacuantibus ſalutis ſpem relictam eſſe.

Fæminas morbi cum inflammatione rarius adoriuntur, quas mollis habitus, vita delicata, menſium fluxus, partus, lactatio tuentur. Ubi autem eas inflammatio corripit: periculoſius ægrotare memoriæ traditum eſt.

Atque hactenus dicta Hippocraticis obſervationibus confirmantur, quas latine reddidit Celsus a): *Incipiente*, inquit, *iam pube, & longæ febres, & ſanguinis ex naribus curſus*, paucisque lineis interjectis; *adoleſcentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maxime obiecta eſt; fereque iuvenes ſunt, qui ſanguinem exſpuunt.*

Viris corporum robora conceſſa, quo fatigia durosque labores ſuſtineant. Obſervantia legum naturæ, juncta frugali diætæ, moderatus liquorum ſpirituoſorum uſus, ac labor modicus, humilis ordinis homines ſecuros præſtat. At vitæ officiorum-

a) Lib. II. Cap. 1.

rumque genera, & quotidianæ mutationes ſanitatem labefactant: nam intermiſſus, propter aliquas civiles neceſſitates, ordo exercitationis corporis, ſecretionibus glandularum officit. Quo magis vitæ ſedentariæ dediti, omnesque pene cupidi literarum, quibus hæc exercitia, corporis, loci, ſtudiorumque ratio detrahit, lædi debent. Horum igitur de doloribus nephriticis, alvo pigra, adfectibus recti inteſtini, teneſmis, hæmorrhoidibus, ſtranguria, diverſis veſicæ urinariæ malis perpetuæ querelæ ſunt. Univerſum glandularum ſyſtema plenitudine obruitur, quæ ubi glandulas externas onerat: puſtulæ, variique cutanei adfectus oriuntur; ubi ventriculum & inteſtina: cardialgia, colica, diarrhæa, cunctaque hypochondriacorum ſymptomata, ſe manifeſtant.

Hi quibus legibus ſe obligare debeant, ſapientiſſime præcepit Celsus a); his ea ſolum addam: evacuationes aliquas, quæ & ægris placent, & commodæ ſunt, procurandas eſſe. Quarum tutiſſimæ ſunt, quæ glandularum renalium, inteſtinaliumque ſecretiones promovent. Ideo rhabarbarum, gummiferulacea, ſapones nativi & factitii meritas laudes tulerunt. Atque per hæc auxilia chronicis morbis occurritur, adoleſcentiaque ad beatam & vegetam ſenectutem diſponitur.

Eſt aliud in juvenibus circa naturalia vitium, injucundum & vel auditu inſuave: non quidem feminis,

a) Lib. I. Cap. 2.

minis, quod & ARETÆUS monet a), licet inde nomen accipiat, ſed humoris albicantis & mucoſi, ex glandulis, quæ in urethram numeroſæ aperiuntur profluvium. CÆLIUS AURELIANUS, hanc paſſionem ſeminalium viarum paralyſim, auctor vero adnotationum rheumatiſmum potius appellandum cenſent b). Semper tædiorum, ſæpe periculorum quoque plenum malum eſt: præter enim voluntatem, præterque modum, ſine venere, vel nocturnis imaginibus, elabitur crudum aquoſum ac tenue liquidum; idque adeo diu interdum & impenſe fit, ut interpoſito ſpatio hominem conſumat. Maxime autem id vitii eos vexat, qui puberem ætatem intemperantia libidinis corrupere, vel qui manu libidinoſam ſeminis ejaculationem ſibi frequenter ac immoderate parant. TISSOTUS Vir & arte & facundia noſtra ætate inſignis, hunc adfectum graphice depingit c).

Mali recentis difficilis, inveterati incerta medela. Salutaria ſunt: medicamina fluxum alio divertentia, roborantia, adſtringentia, aquæ ferrugineæ, vehementes fricationes, perfuſiones, natationes quam frigidiſſimæ, diæta vires reficiens, abſtinentia a venere, poculis, nimio cibo. Viribus reſtauratis, & impuris cogitationibus oblivioni traditis: tempus ipſum erit præſidio.

Fæmi-

a) De ſignis & cauſis Morb. diuturn. Lib. II. Cap. 5.
b) De Morb. chron. Lib. V. Cap. 4.
c) Sur l'Onaniſme.

Fæminarum adfectus ordiar, a muliebri fluore albo cognominato. Genitalium catarrhum hoc vitium, ut & præcedens in viris STAHLIUS vocare solebat. Puellæ laxioris habitus, ab anno ætatis decimo quarto, huic malo in primis sunt obnoxiæ: adveniente senectute interdum liberantur. Sedes ejus in glandulis, lacunis mucosis, & arteriis minimis, in cavitatem uteri vaginæque dehiscentibus ponitur. Quod promanat alias liquidum est cremoris simile, alias citrinum aut pallidum, idemque grave atque mordax, cui modo nullus odor, modo gravis adest. Quibusdam humor jugiter, aliis per intervalla, nunc ante menstrua prorumpit, mox illa subsequitur. Aër humidus, diætæ error, otium, menses copiosi vel obstructi, abortus ac difficiles partus, effrænata venus, cachexia, fluxum accersunt. Solemne est loca humoribus madescere, fæminam decolorem fieri, utpote quam fædam tristis pallor facit, eamque neque adpetere cibum, neque ejus fructum sentire, oculosque ubi malum inveteravit prætumidos habere, difficulter spirare, febre hectica, hydrope, mœrore, lumborum doloribus, cordis palpitatione, syncope, ulcerationibus uteri vaginæque divexari. Multum interest, hunc ab alio ejusdem nominis adfectu, qui infectionis comes est, dignoviſſe. Maligni ergo fluoris hos characteres in monumentis Medicorum reperio: quod in hoc a principio adsint genitalium phlogosis, ulcera, & humor secernatur a lacunis prope clitoridem sedentibus; quod is sævius multo ingruat: GRAAFIUS pudenda inspicienda voluit; dumque tuberculum illud glandulosum, in cujus medio urethræ orificium ponitur, tumet, dolet, tabum-

que plorat, mulierem infectam esse non amplius dubitat.

Non facile hæc ægritudo depellitur, reditque partibus infirmitas sua: nisi iisdem defendatur secunda valetudo, quibus reddita est.

In primis habitus corporis habenda ratio, ab illius enim vitio, morbus originem trahit; laborandumque, ut humorum labes corrigatur, fluxusque ad uterum impediatur. Vomitum igitur primo plerumque ciere oportet; purgantia amara, brevibus intervallis repetita, quibusdam aromaticis adjectis conveniunt. Diaphoretica quoque, fontanellas, setacea, aquam calcis idonei auctores habent. Tonum utero exsiccantia, roborantia, & adstringentia, interne atque externe usurpata restituunt. Ego sane Elixir acidum HALLERI a), balsamumque LOBBII, quod olei vitrioli drachmas quinque, olei terebinthinæ drachmas tres, spiritus vini rectificatissimi uncias tres recipit, bis de die, ad guttas triginta vel quadraginta, ex liquore dulci, vel aqua sumtum, multis profuisse novi. Erosæ partes lotione ex lacte, cui rosarum flores incocti sunt, vel aqua calcis vivæ leniuntur. Humor acris & fœtidus, alterantia mercurialia præmitti postulant.

Matrimonium fœminas inire magno ad sanitatem emolumento, quotidiana convincimur experientia: quare merito Medicorum ille Romulus HIPPO-

a) Vid. Additamenta illustr. BALDINGERI, ad Pharmacop. Edinburg. p. 256.

Hippocrates, mulieri cui a vulva ſtrangulatus eſt, maritum pro Medico eſſe voluit, optimumque fore pronunciavit, ſi virgo in utero geſtet, atque cum viro ſimul habitet a). Ac profecto æquum erat, ut cui longa novem tulerant faſtidia menſes, & partus, lactatio, tenerique fœtus educatio incumbunt, curarum aliquod præmium referat. Quæ cum ita ſint: ad propoſitum revertar, glandularumque adfectus, qui vel gravidas excipiunt, vel partus laboribus defunctas, proſequar.

Mulieri, quæ duo corpora ſimul ſuſtinet, ſummi dolores mammarum non raro eveniunt: hos mollis frictio, fomentum ex hydrogala, in qua ſapo venetus diſſolvitur, feliciter mitigat. Mauriceau illos naturæ committendos ſuadet, omnia repercutientia damnat, cavendum duntaxat jubet, ne veſtibus arctius adſtrictis, turgentes mammæ premantur. Si ſanguinis abundantia tormentum exaſperet: ejus cauta imminutio, victus tenuis, potus levis, & quies admodum proſunt.

Parcioribus aut omnino ſuppreſſis lochiis, humores ad mammas molles & pendulas ruunt, unde novi tumores cruciatusve ad axillas, vaſorum lymphaticorum, nervorumque ope protenſi, redeunt; febris exſurgit. In hoc rerum ſtatu, tum ea, quæ in priori malo laudata ſunt, recte adhibentur; tum blanda diaphoretica, & antacida; operaque danda eſt fomentis, cataplaſmatibus, clyſmatibus, emplaſtris, linimentis, cucurbitulis, ut

a) De Morbis mulierum, Cap. II.

purgatio muliebris ex voto procedat. STAHLIUS largas doſes nitri utiliſſime exhiberi ſcribit. SYDENHAMIUS alter HIPPOCRATES ſuppreſſa iochia inter affectus hyſtericos numerat a): remedia igitur antihyſterica, laudanumque ſuum liquidum propinat. Id aliquando contingere poſſe, ut non negem; moderate tamen ſubjiciam, ſæpius hunc fluxum ab inflammato utero cohiberi. Quibus in caſibus, ut hyſterica & narcotica ſupervacua ſunt: ita in antiphlogiſticis curationis cardo in primis vertitur.

Lacte ad mammas delato, quandoque fit ejus ſtagnatio, coagulatio, dolor inflammatorius, ſuppuratio, ſcirrhus. Conſultum eſt reſolutionem molliſſimis remediis tentare: qualia ſunt fomentationes cum oxycrato; cataplaſmata ex mica panis in lacte cocta, addito oleo amygdalino, & aliquot ovorum vitellis; ſapo hiſpanicus, in aqua & lacte ſolutus; vapor aquæ tepidæ, deinceps lenis frictio. BARBETTE perhibet b): *Diei unius ſpatio curari hanc indurationem poſſe, unguento althææ compoſito, modo ſuctione mulieris alicuius aut catelli, materia aquea ſæpius educatur.*

His parum valentibus, ſcire licet abſceſſum formari: itaque nullam novam curationem deſiderat, animadverſionem tantummodo hanc habet neceſſariam, ut contentus ſit Medicus ea modo adhibere, quæ emolliant, præſtolarique, dum cutis per

a) Vid. epiſtola ejus ad Guilielmum Cole.

b) Operum chirurgico-anatom. pag. 492.

per se rumpatur. Alii ferramento acuto aperire malunt: quo curationis genere, qui uti volet, exspectet dum omne, quod abscessit emollitum est.

Gravius vero terret, si post tractatum mammæ abscessum, consolidato jam ulcere, quid duri remaneat: trepidas enim matres scirrhi cancrique metus sollicitat. Hæc quidem pestis inde forsan numquam nascitur; sponteque aliquibus durities resolvitur, redeuntibus mensibus, vel secunda graviditate: nihilominus ea admovenda, quæ in glandularum indurationibus resolvendis, efficaciſſima creduntur; vel immedicabilis nodus ense recidatur. Levretus saturatæ solutioni salis tartari, vel boracis in aqua, si hac partes humectentur, multum tribuit. Lentin cataplasma ex lacte, cum sapone nigro, magni facit. Langius cataplasmate ex petroselini foliis, urinaque hominis cum fructu usus est.

Sed & finduntur lactantibus non sine dolore papillæ. Linteа carpta succo sempervivi majoris ebria, utiliter imponuntur dum inflammatio remiserit, vitandumque ne vestes vel indusium papillam premant; inungantur dein papillæ oleo ceræ, repetitis destillationibus limpido ac molliſſimo reddito, quod in similibus adfectibus magni Boerhaavii commendationem meruit. Ad idem valet saccharum album, ad flammam lucernæ susum, refrigeratum, tandemque in humido aëre deliquescens. Consolidatis fissuris, roboranda papilla, ubi eminet mastiche, in æquali copia spiritus vini & aquæ digesto. Adstringentia ex alumine similibusque nonnullis placent.

CAPUT QUINTUM.

De Morbis glandularum a præcedenti periodo, ad annum ætatis ſexageſimum, ſeu ſenectutis initia.

Poſtquam ætas conſiſtens ſuperata eſt: natura evidentius ad decrementum ducit, perinde atque in vegetabilibus fieri animadvertimus, quæ ad interitum ruunt, ubi maturitatem attigerunt.

Ergo in univerſo corpore duritas, quæ ab ætate naſcitur, ſe conſpicuam offert in muſculis, tendinibus, oſſibus, glandulis, arteriis, cerebro. Nervi rigidiores ad ſenſuum impreſſiones, muſculi ad ſollicitationes ab irritamento magis magisque occalleſcunt. Cordis vis contractilis, pulſuumque frequentia minuitur; reſiſtentia, quæ cordi opponitur creſcit: ut difficilius ſanguis vaſcula minima ſubeat. Lenteſcente ſanguinis impetu, adeps colligitur, qui congeſtus in immenſum, venas comprimit, cordi reſiſtit, anhelos facit, & apoplecticos, & hydropicos: telam celluloſam pallens gelatina, & pituitoſa lympha replet, ut cutis colorem decoremque amittat, faciesque ac crura, & totum aliquando corpus tumeant. Per easdem cauſas caloris animalis jactura fit, humorum a centro ad peripheriam determinatio mutatur: itaque perſpiratio ſupprimitur, ſeroſique humores glandularum ſyſtema onerant. Corrumpuntur quoque fluida, ut, quæ blanda fuerant in pueris, acria, falſa, fætida, terra multa gravia ſint in ſenibus. Atque his gradibus ad ſenium acceſſus fit, quod ſerius

ocyus

ocyus in mortales grave decumbit: celerius si duris laboribus, libidini, vitioſoque victui ſe dederint; tardius ſi mite vitæ genus, cum temperantia ſecuti fuerint. Ex quibus elucet, ſenectutem anno ſexageſimo inchoari, ut nos quoque alios hac in re ſecuti poſuimus, vel in Europæis exceptionem deſiderare.

Hactenus ægris ſanitatem integram medicina promiſit: poſthac æquos rerum æſtimatores contentos eſſe oportebit, ſi quid de morbo dematur, utpote cum refragante natura, parum ars proficiat. Si manantia corpuſcula, per inviſibilia foramina ſubſiſtendo, iter claudant; humorumque per capillaria vaſa circuitus impediatur: diverſis ægritudinibus corpus exponitur. Harum e numero ſunt: ſiccitas & ariditas cutis, eruptiones ſcorbuticæ, rheumatiſmi; atque ubi materia perſpirabilis exitu negato, glandulas internas petit, colicæ, ac cardialgiæ. Per balnea tepida, opportunas evacuationes, & apta diaphoretica, plurimum levaminis ægri percipiunt.

Ab iisdem cauſis glandulæ juncturarum obſtruuntur, quare morbus articularis exoritur, qui pro varia ſede diverſa nomina, Podagræ, Chiragræ, Gonagræ, &c. obtinuit. Nova hæc virilique ſexui hac ætate peculiaris ægritudo eſt, ut quæ rariſſime fœminis, eunuchis vel pueris infeſta ſit. Unde convincimur, debilitatem ac laxitatem fibrarum ſecuritatem ab his malis polliceri. Et profecto cum hæc calamitas ingruat, eo præcipue tempore, quando partium ſolidarum rigiditas intenditur: concludere par eſt, in curatione omnia illa vitanda eſſe, quæ fibras ſicciores rigidioresque reddunt,

exercitationes etiam corporis violentas tormentum exasperaturas. Modo dicta confirmationem ab experimentis accipiunt: siquidem multos per exercitia moderata, temperantiam, diætam lacteam ac vegetabilem, debitas evacuationes, immunitatem totius vitæ consecutos esse, observatores fide dignissimi testentur.

Ab anno ætatis trigesimo quinto in viris, & quadragesimo sexto in sequiori sexu, rarius acuti morbi, sed chronici frequentissime glandulas fatigant: itaque asthmata diutina, icteri, hydropis diversæ species, plurimos opprimunt, viribus cordis & musculorum languentibus, vigore corporis ac nativo calore diminutis. Equidem spontanea urinæ, alvi, salivæ, sudorumque profluvia interdum onere viscera liberant: sæpius autem hæc ipsa auxilia gravioribus malis ægros implicant. Si enim acrimonia vel diuturnitas illis accedat: choleræ, dysenteriæ, intestinorum levitatis, hæmorrhoidum teneſmique metus est. Duplex præsidium Medicis, contra diuturnos hosce adfectus, in prudenti secretionum glandularium moderamine; morbique primarii mutatione, sedem hujus ad alias glandulas transferendo, relictum est.

Dixi de communibus utrique sexui morbis: superest ut ad eos transeam, quibus muliebria corpora premuntur. Priusquam menses penitus fluere desinant: anomali esse incipiunt, ut neque certis intervallis redeant, & copia peccent. Solemne mammis ad hæc tempora fuerat, appropinquante periodica uteri hæmorrhagia, se attollere, ac non multo post, submittere: jam distentæ manent, ut fere non subsidant. Mensium a communi lege re-

receſſus, periculo non vacat: namque corpus, ut in chlorotica virgine ſubtumidum, laxum, molle, grave, ſegneque fit, & vividi coloris gratia perit, virore quodam albicans. Quibus incommodis ea medela occurritur, quæ puellas febre alba detentas reficit.

At vero, ubi partus & menſes ceſſant: longe periculoſiora mala fæminis metuenda ſunt: utpote quas tabes glandularis, multo ſæpius quam viros invadat. Fluor albus immoderatius adoritur, ſcrophulæ ac ſtrumæ ſurgunt, ſcirrhi cancrique diverſorum viſcerum, ſed mammarum præſertim ſe produnt. Indurationum cancrorumque curationes, cum per multa volumina, perque magnæ contentionis diſputationes a Medicis ſæpe tractatæ ſint, atque tractentur; operæ pretium duxi his ea addere, quæ de immedicabili mammarum peſte, vir immortalis venerandusque meus Præceptor ac Patronus PETRUS CAMPER Pariſiis anno 1777. in Academia Regia Chirurgorum prælegit, ac deinceps in diſſertatione epiſtolari belgico ſermone ad *Celeberrimum* ENGELEN ſcripta, cum publico communicavit.

Illa in ſequentibus potiſſimum conſiſtunt: cauſam indurationum & carcinomatum, in ceſſatione menſium quæri non poſſe, haneque perniciem idcirco hac ætate in primis conſpicuam eſſe, quod mammæ nunc emareſcant & propter ſenectutem collapſæ, induratas dudum glandulas facilius tactui exhibeant. Hujus ſententiæ veritas tum inde patet, quod venæſectiones, cæteræque evacuationes, malum adeo non levent, ut omnino in pejus vertant; tum præterea ex ſingulari obſervatione

Ex-

Expertissimi Percivall Pott. Postquam enim virgini ovaria utraque, cultro ablata sint curationis causa, quoniam elapsa per abdominalem annulum herniam duplicem fecerant: paucis mensibus interjectis, mammæ volumine minui, tandemque prorsus consumi visæ sunt. Accedit, quod & viri scirrhis & cancris, in variis sedibus, circa hæc tempora moriantur & ægrotent.

Ibidem Vir summus refert, de indubitato signo incurabilis cancri, quod inde repetit, si adsint dolores pungentes in ea regione sterni, ubi arteriæ mammariæ internæ, secundam inter ac tertiam costam ad mammas progrediuntur. Namque mortalium primus anno 1775. in cadavere fœminino pleuram, pone quam vasa mammaria ponuntur, separando, plures insignes glandulas, hos canales ambeuntes vidit, atque ab eo tempore, in plurimis cadaveribus non hominum solum, sed etiam brutorum illas detexit, mihique ineunte anno 1781. in mulieris vetulæ, infantis, & simiæ cadavere, in anatomico suo theatro Lancumano demonstravit: dolores igitur lancinantes locorum illorum ostendere, glandulas modo dictas, ad quas Chirurgi manus non pertingit, labem contraxisse, simulque illas oppositi lateris posse esse adfectas. Postea observatione *Illustris Georgii* Coopmans constitit, in fœmina ex cancro mammæ defuncta, easdem glandulas tumidas induratasque fuisse.

Ex utero quoque fœminis frequentia longaque vitia nascuntur: cordis enim atque arteriarum viribus fractis, sanguis omnis pondere suo fertur, & per ostia vasorum infirmi frigidique uteri profunditur. Quare totum fit imbecillum corpus, ejusque color

color vitiatur, labascit cupiditas atque concoctio, crebri oriuntur febriles ardores, noviſſime pedes molli tumore inflantur, indeque reliquum corpus, ex quo ipſa gignitur inter cutem aqua. Quæ, ut interpoſita mora fæminas examinant: ita præceps exitium adferunt ſcirrhi cancrique, vitiatos hoc modo uteros depaſcentes. Benefica mater Natura, formidabilem hunc fluorem avertere nititur, ſanguinis ex naribus, vel per hæmorrhoidalia vaſa effuſione, aut ſi illa non eveniant, diuturno alvi fluxu. Et patet id negotii Medico illius miniſtro datum eſſe, ut primum per ſimilia remedia revulſionem moliatur, ac deinceps ſanguinem tenuem & rarefactum condenſare; uterisque debilitatis, adſtringentibus interne & externe uſurpatis, elaſticitatem reddere conetur.

CAPUT SEXTUM.

De Glandularum adfectionibus a ſenectutis principio, ad illius vitæque finem.

Eædem cauſæ, quæ ſenectutem inducunt, cum operari pergant: evitari nequit, quin decrepita ætas ſenis ſuccedat.

Sphincteres muneri vix amplius ſufficiunt: itaque inſciis urina prodit, diabetes, ac frequentior mejendi cupiditas male habent. Glandulæ infirmiores novis fluxionibus tentantur: hinc oculi naresque rheumate obſidentur, ut moleſtis humoribus jugiter madeant; acris pituita in glandulas arte-

teriæ aſperæ depluit, unde tuſſis, raucedo, ſpiritus difficultas cruciant. Muſculorum vis inſita debiliſſima eſt, ut reſpiratio, pituitæque per os ex pulmonibus rejectio gravis ſit; flaccidiores muſculi regendis oculis, auriumque tympano impares, diverſa viſus auditusque vitia pariunt. Calloſa nervorum inſenſilitas, & ſanguinis vitiata indoles, ſecretionum naturalium ordinem modumque mutant: ergo defectu Haverſiani liquidi, artus ad voluntatis imperium moveri recuſant, oſſium ingrata crepitatio ſentitur; mucum parcius in renibus, veſica & inteſtinis ſecretum, ſtranguriæ, dyſuriæ, nephritides, alvi humiditas vel tarditas comitantur.

Mucilaginoſa ut althææ radix, gummi arabicum, tragacanthum, aqua calcis, rhabarbarum, terebinthina, balſama nativa, peruvianum, tolutanum, de copaiba, diacodiata, ægros maxime ſolantur; quibus & ſimplicibus & compoſitis varie Medici, prout adfectus ſunt, utuntur.

Rigidiora ideoque minus elaſtica vaſa, ſegnius contenta propellunt, ut humorum in orbem iter langueſcat. Igitur ſenibus ulcera ſiccantur, extremitates influxu vitali deſtitutæ moriunrur. Obſtructos canales, glaucomata, cataractæ, calculi biliarii, renum, ac veſicæ excipiunt: ut cæcitatem, dolores nephriticos, morbum regium, atque ex pigriore alvo, viribusque ad eam excernendam debilibus, vertigines & apoplexias ſequi oporteat.

Pe-

Peruvianum corticem ingestum, in gangræna senili sæpius fallere, frequens ubique experientia docuit; ego vero prodesse non posse persuadeor, utpote cujus in roborandis fibris præcipua virtus est, quæ per se plus æquo rigidiores in senibus, hac medicandi ratione novis accessionibus auctæ, potentius vitalis laticis progressum impedient. Sed in omnibus ejusmodi cogitationibus in utramque partem differi potest. Quo magis fidem relationi *Celebris* POTTII adhibeo, qui opio, præstantissimo in natura rerum cardiaco, quovis bihorio, vel sesqui hora ad granum dimidium dato, postquam inefficacem corticem doluisset, hanc mortem eviciisse perhibuit.

In sanando ictero duorum remediorum, quæ specifica quibusdam audiunt, mentionem injiciam. Si hæc adfectio neque scirrhoso jecori, neque calculis felleis originem suam debeat: in vitellis ovorum D. WHITH certum auxilium quærit. Aliud dissolvens specificum calculorum felleorum & concretionum biliosarum consistit in miscela duarum partium ætheris vitrioli, & unius olei stillatitii terebinthinæ. Inventionis gloria D. DURANDE tribuitur, MARETO ipso suadente, morbus arquatus tenax, atrocissimis doloribus colicis stipatus, hoc remedio curatus fuit. Datur a guttis duodecim ad viginti, & ultra, in sacchari frustulum stillata hæc miscela, serique lactis clarificati, vel aquæ hordeatæ unciæ sex superbibuntur. Ad menses plures protrahere illius medicamenti usum vulgo necesse est, & cum paullum excalefaciat: eodem tempore ptisanæ refrigerantes & demulcentes,

tes, diætaque ejusdem generis ægro præscribendæ sunt.

Lithontriptica nulla hactenus certa fide innotuerunt: si tamen aqua calcis vivæ, sapones natura vel arte parati, ovorum testæ, mellita, thermæ Carolinæ, betulæ sauciatæ succus, ononis, uva ursi, aër fixus, turiones asparagi, manna, diæta ex Lobbii sententia instituta, pluraque in cœlum laudibus elata remedia, symptomata interdum auferant, calculos mole augeri, vel novos generari prohibeant, sanguinis diathesim calculosam corrigant, crystallos sabulosas & arenulas ex corpore eliminent: ad ea confugere calculo laborantibus, postquam dolor remiserit, consultum erit.

Postremo ad implendum orbem calamitatum decrepitæ ætatis, cachexia supervenit, & perspirabilis materia in corpore retinetur: ut pruritus senilis, illi podagricorum non dissimilis, somnum oculis arceat. Opportuna primum in hoc affectu sunt balnea tepida, quo viscidi acresque humores eluantur, & cutanei pori aperiantur; dein fricationes servorum opera; diaphoretica mitiora, sulphur hora somni exhibitum *Friderico* Hoffmanno commendante, & repetiti haustus vini fragrantioris. Cuncta hæc observatorum a nata medicina facile princeps Hippocrates optime præsagivit; ut non dubitem ejus Aphorismo 31. Sectionis III. inaugurale meum specimen claudere: *Senibus*, inquit, *spirandi difficultates, destillationes*

tiones cum tussi, stranguriæ, dysuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, mali corporis habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum, & narium humiditates, visus hebetudines, glaucomata, auditus gravis.

TANTUM.

XI.

ANTONII DOMINICI RIVOLTI,

GORITIENSIS EX FORO-JULII

DISSERTATIO

DE

PAROTIDE.

De Parotide acturus anatomicam ejus cognitionem neceſſariam autumans, brevem hujus glandulæ deſcriptionem præmittere judicavi.

In ambitu oris plures glandulæ occurrunt, ſuum liquorem in hanc cavitatem deponentes, quas inter Parotis princeps ſalivæ fons, ex omnibus glandulis humani corporis (excepto Pancreate) maxima, conglomerati generis, replens intervallum meatus auditorii, & maxillæ inferioris, ac proceſſus maſtoidei, partim maſſeteri muſculo incum-

cumbit, partim nudæ maxillæ, usque ad processum jugalem sursum extensa, ex pluribus acinis, ductus peculiares in unum universalem excretorium majorem, Stenonianum dictum, colligentibus componitur, qui circa tertium dentem molarem superiorem in ore aperitur. Arterias a temporali & faciali habet, uti ac venas: nervos vero a portione dura septimi paris, & a maxillari inferiori.

Variæ aliæ glandulæ in hac regione adsunt: illæ quoque afficiuntur morbis, recepto tamen in Pathologia vocabulo, quasi a priori dependentes, uno verbo Parotides nominantur, quamvis in anatomicis quævis proprium titulum habeat.

Eparmata, Parotis, Latinis vero Panus dictus, est tumor præternaturalis aliquarum, vel plurium glandularum, unius, aut utriusque partis prioribus capitulis descriptarum; Græci quasi abscessus prope aures vocabulo Parotidis intelligunt, quamvis apud *Hippocratem* simpliciter hoc nomine vocetur.

Humor contentus non semper infestat glandulas, sed in cellulari circumcingente illas sedem ponit, & *Morgagnius* a) non tam in ipsa glandulæ substantia, quam inter communia potius ejusdem integumenta hos tumores deprehendit: facillime enim sæpenumero Parotides has resolutas vidit, quam in infarcta glandularum substantia vix votis assequi possumus, suppurato, curatoque tumore, glandula munere suo perfecte cum fungatur, haud

a) De sed. & caus. morb. Ep. 50. n. 4.

fuisse Parotidem, quæ suppuratione consumeretur, merito concluſit: accedit tumoris æqualitas ſitui haud correſpondens. Celeris ac ſubitanea plerumque ejus geneſis eſt, ut intra paucas horas ad perfectum incrementi terminum perveniat: ad tantam magnitudinem non infrequenter excreſcit, ut non modo deglutitionem, & oris deductionem difficilem reddat, ſed comprimendo venas jugulares viam ſanguini intercludat, venienti ex encephalo, ſupervenientibus inde omnibus ſymptomatibus, quæ ex tali cauſa ortum habere poſſunt.

Magnitudo Parotidis ex ſolo externo intuitu extimanda haud erit, cum interdum molem ſuam introrſum magis producat, quam læſa tum deglutitio, tum reſpiratio clare loquuntur: minorem hinc æque pro morbi magnitudine, ac multo majorem periculo haud carere teſtatur *Hippocrates*. Tempus, quo in morbis Parotis ſupervenit, indeterminatum omnino eſſe obſervatores Medici confirmant: inde eſt, quod periculum, aut morbi emendationem ex celeriori, aut tardiori eruptione vix expectes, cum die duodecima ac ſecunda morbi apparentem ſymptomaticam videre licuerit.

Difficile enimvero dictu eſt, quæ ſit Parotidis cauſa proxima, cum determinari non poſſit, qua ratione potius hanc, quam aliam partem humores maligni invadant, & cur materies in morbis cocta ad glandulas Parotidum potius, quam ad alias deferatur. Puto inexplicabile eſſe, uti evenit in ſalivatione mercuriali, quod a peculiari quadam proprietate virtus mercurii ad glandulas

ſa-

falivales, non ad alias humores lymphaticos pellat; ſic in noſtro corpore hærere aliquando partes aliquas in maſſa humorum obſervamus, apte determinandas ad Parotides, incognita ratione, potius quam alibi. An ex natura febrium gaſtricarum (in his enim Parotides frequentius apparent) humores verſus caput urgentium, cur Parotides potius naſcantur, probabili quadam conjectura oſtenditur?

Cauſa Parotidis remota varia eſt, cum a conſtitutione epidemica, vel a cauſa in corpore hærente ſine ullo prægreſſo morbo oriatur. Aër frigidus & humidus, perſpiratio ſuppreſſa, febres intermittentes, ulcera in partibus vicinis enata, puris pars in Parotides reſorpta *Morgagnio* a) obſervata, omnes irritationes circa Parotides factæ, cibi glutinoſi, lympha depravata, corpus laxum, cacochymicum, acrimonia humorum, potus calefacientes, abuſus nimius aquarum, ſuppreſſio evacuationum naturalium, miaſma ſcrophuloſum, depoſitiones metaſtaticæ, & multa alia Parotidi anſam dant. *Clariſſ. Tiſſot* b) vidit inter Helvetos infantes plurimos Parotide correptos certis temporibus; ſibique ipſi idem contigiſſe dicit ex perſpirabili ſuppreſſo. Parotides epidemicas cum delirio in conſtitutione epidemica auguſtana obſervavit 1697. *Schrockius* c): Epidemicas vidit *Foreſtus*

 d):

a) De ſed. & cauſ. morb. Ep. 14.

b) Avis au Peuple.

c) Miſc. nat. cur. Dec. 3.

a): *Clariſſ. Ramazzini* b) conſtitutionem epidemicam deſcribit agro Mutinenſi funeſtam, ubi Parotides ſuppurantes licet, contumaciſſimas illas febres haud ſummovebant.

Quævis Parotis a qualicunque cauſa orta diſtinguenda ratione loci, cauſæ, temporis, durationis, ſymptomatum &c. Itaque dividitur in protopathicam, ſeu primariam ſine ulla prægreſſa affectione morboſa ortam, ſed quæ ipſa tanquam cauſa morbum facit; in deuteropathicam, quæ alicui morbo originem ſuam debet. Quanti ſit hæc diviſio, omnes Practici unanimiter conſentiunt: ſufficit adduxiſſe *Celſum* c), ſub ipſis vero auribus oriri Parotides ſolent, modo in ſecunda valetudine ibi inflammatione orta, modo poſt longas febres illuc impetu morbi converſo. Symptomatica eſt in cruditate morbi ſuperveniens, tanquam ſymptoma, tuncque morbus potius augetur, atque ejus eventus fiet dubius, critica vero, qua apparente ſymptomata levantur, & ipſe morbus minuitur, cum materies morbifica ad illum locum depoſita alias functiones turbare amplius haud poſſit. Symptomaticæ, quam criticæ frequentioris exempla paſſim videre eſt apud *Clariſſ. Ramazzini*, & alios; ſed neque veræ criticæ Parotidis exempla deficiunt, qualia poſt Hippocratica a *Clar. Monro* & *Morton* adnotata fuerunt.

Tam

a) Obſ. & cur. med. Cap. 17. Obſ. 16.

b) Miſc. nat. cur. Dec. 2. An. 2.

c) L. b. c. 16. p. 391.

Tam protopathica, quam deuteropathica esse poterit chronica, si per hebdomadas, menses, & annos decurrat cum vel sine magnis symptomatibus; lente id genus parotidum procedit, cujus ab omni ævo jam exempla prostant, & quorum *Hippocrates* meminit a), ut quæ lenta in sua genesi sic satis colore quoque tumorem œdematosum mentiri solent, qualis in primis est scrophulosa, aut scirrhosa. Acuta vocatur, dum brevis decursus ejus est ad paucos solum dies protractus, & in bonum, aut malum exitum brevi terminatur. Non omnis acuta Parotis ex toto intra breve tempus curatur, cum sæpe relinquat suppurationes & ulcera diu rebellia.

Præterea dividi necesse est in malignam, quæ nullis remediis cedit, & est irresolubilis. Observare mihi licuit in venerando Sacerdote temperamenti mucosi, qui per sexdecim annos Parotidem gerebat ab expertissimis Medicis & Chirurgis indicatissimis remediis tractatam citra ullum levamen; talis & maligna vocatur, quæ fistulas format, vel ingenti velocitate, humoribus jam corruptis, in gangrænam abit. Benigna mitius decurrit, nec tam gravibus symptomatibus stipatur; per remedia curam admittit, facile solvitur.

Inflammatoria Parotis est, quam dolor continuus concomitatur; attactum haud fert, febris adest, uti in aliis tumoribus calidis. Nam protopathicam solum, sed & deuteropathicam in ipsis febribus putridis inflammatoriæ esse indolis, frequenti observatione constat.

a) Coac. n. 163.

Suppuratoria: si prior benigne haud soluta in suppurationem abeat, dolor & febris perstans, fluctuatione denique percepta, remittunt, & tumore in medio elevato, albo reddito noscitur; difficilius percipi materiei undulationem tumore profundiore ipsam glandulæ substantiam occupante, quilibet facile agnoscet.

Gangrænosam adesse videt Medicus, dum summa, perfecta inflammatione, obstructione continuo aucta, abolito denique omni in- & effluxu humorum, cessante subito citra causam dolore, gangræna oritur maculis lividis, gangrænosis in tumoris superficie vesiculis quandoque enatis.

Inflammatione haud benigne soluta, materie crassa nimium, nimiumque immeabili facta, febri tamen sublata, scirrhus remanet, tumore duro, indolente, cuti concolori noscendus, ex quo, stimulantibus, acribus tentato, orto de novo dolore cancer nascitur. Protopathica quamvis dicatur, tamen semper ferme dependet a quadam corporis morbosi constitutione, qua humores tantæ tenacitatis generantur, ut impotentes transire vasa secretoria majora, eo minus glandulæ fabricam intricatissimam, cum circulum in illis lentissimum fieri, physiologica ratio dictet, necessario glandulas infarciant: hinc neque mirum, si in corporibus cacochymicis, phlegmaticis, pituitosis frequentiores, cæteris paribus, Parotides videre sit. Infantes præcipue Parotis infestat; mucosi enim cum sint, & crassi humores ad glandulas delati concrescunt, & Parotidem creant, hocque vel maxime contingit, ingruente hyemali tempore, quando in illis facili negotio perspiratio supprimitur.

Non

Non tantum ex causa quasi propria semper Parotis formatur, sed frequenter videre illam est ab alio morbo productam. Variolæ genesim eis dant: inconfluentium enim specie, die undecima salivatione suppressa, materia crassiori reddita, paucas intra horas ingens Parotis oritur, ubi nisi per auxilia reparetur illico, ægro suffocationis periculum imminet. Alia vero non a variolis, sed a morbo cum illis associato nascitur, ut a putrida maxime febre, aut biliosa. Bene in his casibus facienda distinctio ad prognosim, & curam omnino diversam quamplurimum necessaria. Superato quandoque morbo varioloso, longo etiam post tempore a materie morbosa non bene evacuata, depositione facta ad illum locum lethalis Parotis gignitur: sic *Morgagnius* vidit morbillos quandoque comitari Parotides a). Nullus mirabitur, qui violentum hoc in morbo fieri ad caput affluxum, qui glandularum oculi & narium, hinc humorem pathognomicum esse symptoma ex observatione didicerit.

In peripneumonia, pleuritide, imperfecta facta crisi, in reliquorum etiam viscerum inflammatoria affectione ortas Parotides, historia medica testatur; quod diu jam *Hippocrates* b) his verbis expresserat: Si febris detinet, neque dolor conquiescit, neque sputum ex ratione procedit, neque biliosæ sint alvi egestiones, neque bene solutæ ac sinceræ, neque urina admodum multa & copiosum habeat sedimentum; suffragantur vero

a) l. c. cap. 14.

b) Præn. m. 43.

ad salutem reliqua omnia salutaria signa, in his hujusmodi pone aures fore abscessus expectato.

Ictericis Parotides frequentes esse vidit *Hippocrates* a); in his enim ait: Qui quodam sopore, aut morbo regio detinentur, nec admodum sentiunt, & quibus singultus adest, alvus affatim prorumpit, fortassis etiam supprimitur, atque ii exsolvuntur, videndum, num abscessus ad aures in his expectare oporteat b), in spirituosis & anhelatoribus morbo regio laborantibus, & febre acuta cum præcordiorum duritie & tumore, si corporis summa perfrigerantur, magnorum circa aures abscessuum exortum fortasse expectare oportet.

Dysenteriæ bene licet curatæ post longum morbi decursum, lethalem supervenire Parotidem lugent Practici. A suppressa subita salivatione olim, quam hodie hac luis venereæ cura, ut plurimum exalante, observare frequentius dabatur. Diathesis scrophulosa Parotidem generare ordinarie adnotatur, illamque ex difficillimis esse, scrophularum pertinacia incognita adhucdum indole facile ostendit.

Febribus biliosis, putridis, gastricis, & aliis quandoque morbis febrilibus & non febrilibus Parotis associatur, nec non intermittentibus: frequentius enim longe in morbis apparent harum glandularum tumores, quam bubones, ait *Illustriss. L. B.*

a) Prædict. l. 1. n. 154.

b) Ibid. n. 164.

B. van Swieten a). Febrilia ſymptomata, ſi critica his ſuperveniat, imminuuntur; ſi ſymptomatica, illa augentur. In cauſo, ſeu febre ardente frequenter vidit Parotidem *Hippocrates* b), dum dicit: Ex præcipitibus morbis in febribus ardentibus maxime tubercula ad aures exoriuntur. Tertianis intermittentibus ſymptomatice in conſtitutione quadam epidemica ſuperveniſſe Parotides, *Clariſſ. Ramazzini* deſcribit c) conſtitutionem anni 1690. epidemicam, uti adductum fuit, quod morbo jam prope debellato Parotis accedat, ex incognita epidemica conſtitutionis indole pendere videtur. In febre bilioſa Parotidem frequenter accidere obſervatum Noſocomiorum eſt. Ipſe vidi hominem quinquaginta annorum febre bilioſa prius laborantem, cui ſupervenit Parotis peſſimis ſtipata ſymptomatibus. Præcipue vero in febribus putridis mala adhibita in ejus curatione methodo, aut neglectis evacuationibus ex materie ſic in corpore relicta Parotidem naſci haud difficulter; & *Illuſtr. L. B. de Störck* d) frequenter in febre acuta continua putrida Parotides ſe vidiſſe teſtatur. *Clariſſ. Tiſſot* de febre bilioſa agens dicit: Reliquiæ morbi in abſceſſum, aut ad alium locum delata materies morbifica metaſtatice, in Parotidem, ſcirrhum commutatur.

Dum

a) f. n. 2. p. 184.

b) Coach. n. 207.

c) Miſc. nat. cur. Dec. 2. An. 8. opp. n 2. ſqq.

d) An. med. 2. p. 18.

Dum Parotis frequenter febrilis est, bene cavendum, ne confundatur febris illa cum febre iam prius præsente, cum aliter cura instituenda sit, si Parotis causet febrim, vel si febris causet Parotidem.

Imminere Parotidem protopathicam determinatu impossibile est, nisi forte ex constitutione nota aliquid eruere possis: superventuram Parotidem deuteropathicam in morbis aliqua phænomena indicant, *Hippocrati* iam nota; sic ex alvina depositione illam prædicere potuit a); in biliosa alvo molli, stercoracea egerente apparentes æstus tumorem ad aures excitant, & ibidem, glutinosæ, biliosæ dejectiones magis quodam modo abscessus juxta aures excitant. In morbis equidem putridis continua alvi tarditas solis clysmatibus solubilis, aut valde laxa præcipuum Parotidis signum prognosticum constituit. Urinæ crudæ, cutis sicca, talia in febre putrida si adsint, vel mala capitis, ut agrypnia, cephalalgia, comma, aut ipsa Parotis timenda est, adnotante *Hippocrate*: qui urinas tenues & crudas multo tempore reddunt, si reliqua signa salutaria sint, in his abscessus expectari debent; & alibi ait b), considerandum, in quibus speramus abscessus circa aures futuros, num ex capite doleant, aut superiorum partium tenues sudores oboriantur, aut novus insuper rigor, ac deinde num alvus affatim prorumpat, aut aliquo sopore detineantur; videndum quoque, num urinæ di-

a) Coach. n. 626.

b) Prædict. l. 1. & Coach. n. 203.

dilutæ cum sublimibus quibusdam innatantibus albidis, & quæ varie exalbescunt & graveolent, abscessus ad aures excitent. Sopor sæpe antecedit, vigiliæ, deliria, surditas, difficultas, respirandi, & multa alia symptomata prænuncia adesse possunt, quibus tamen solis certam fidem semper præbere haud licet.

Quod vero pericula adsint, præsente Parotide, ex priori capitulo facili negotio diduci poterit, cum a magnitudine tumoris, atque ab illius malignitate totum plus minus dependeat; si magnæ sit molis, partes adjacentes comprimi necesse est, inde tumores capitis, surditas, cephalalgia, deliria, stupor, sopor, apoplexia a), ut refert *Morgagnius* ab infarctis vasis, indeque sequente extravasatione salsamentarium e medio sublatum. Angina suffocatoria a compressis viis respirationis, deglutitionis sequitur. In epidemia febris catarrhalis scarlatinæ, refert *Reimann* b) sæpe huic febri jungebatur; exulcerationes tonsillarum & uvulæ cum rubore & inflammatione totius isthmi faucium, atque secius Parotidum & glandularum colli diffusi tumores sine discrimine subjectorum, nisi quod, quo plus ab ætate quadrenaria aberant, eo certius, citiusque hos tumores adepti sint, ita, ut intra paucas horas toto collo tumentes, retracto in cervicem & posteriora capite, oppletione narium mucosa & respiratione stertorosa jacerent, ac intra septem, octove dies suffocarentur. Sic quoque in febribus intermittentibus an. 1759. ab *Illustr.*

a) l. c. Ep. 4. n. 24.

b) Uratisl. Ten. 25.

Illuſtriſſ. L. B. de Störck a) obſervatæ Parotides ſub finem morbi ægris ſupervenientes erant admodum moleſtæ, & nullis fere remediis ceſſerunt. Reſolventia & alvum leniter moventia interne exhibita, emollientia & diſcutientia applicata externe, longa tandem mora hos tumores aut ad ſuppurationem redegerunt, aut diſſiparunt: in binis tamen ægris hæc nihil effecerunt: Parotides duriſſimæ ſemper magis increverunt, reſpirationem, deglutitionemque impediverunt, atque hos ægros penitus ſuffocarunt.

Exitus Parotidis æque ac cauſæ variat: ſi a benigna materie producitur, bonæ reſolutionis ſpes eſt; quam variis molitur modis natura, vel primo per ortam ſalivationem, aut expectorationem, juxta effata *Hippocratis* b): tuſſis cum crebra oris ſalivatione abſceſſus circa aures emolliunt. Pulchrum quoque in obſervationibus Medicis c) extat exemplum, ubi intumeſcentium Parotidum ſubſequente ptialiſmo natura criſim feliciter molita eſt:

2. Uti diarrhææ ſupervenit Parotis, ita non infrequenter obſervatur per diarrhæam judicari. *Illuſtriſſ. L. B. de Störck* d) bini ægri, quibus Parotides benigna reſolutione diſſipatæ ſunt, inſequente bilioſa diarrhæa, ſanitatem obtinuerunt.

Sub

a) An. med. 1. men. Ap. p. 62.

b) Prædic. l. 1. n. 167.

c) Uratisl. Obſ. 2. p. 19.

d) An. med. 2. men. 1. p. 23.

Sub ipsa dysenteria Parotides ortæ, illa pergente, iterum evanescunt, imo aliquando Parotides ad suppurationem ductæ, superveniente alvo diarrhæica, purulenta, subsidere possunt; neque in hac Parotidis solutione *Hippocratis* testimonium deficit, dum ait a), quibus febre judicatorie desinente tumores ad aures in febribus cum dolore suborti neque conquiescunt, neque suppurantur, eos bilioſum alvi profluvium, aut intestinorum difficultas liberat.

3. Per urinas: facile per renes puris successum esse, historia medica testatur; copiosæ tunc urinæ adsunt cum sedimento lateritio, quibus pergentibus, tumor imminuitur. Si statim ex urina secedat corpus cremorem lactis referens, verum pus erit: sed si urina jumentosa primum fiat, dein post horas deponat materiem, non erit pus factum alibi & per urinam evacuatum, sed alia materies; ait enim *Hippocrates* b), quibus tubercula ad aures enascebantur, ea die vigesima discernebant; sedata autem sunt iis omnibus, quibus non suppurarunt, ad vesicam tamen sese converterunt.

4. Sudore: Ampliſſimo enim hoc collutorio materiei alibi depositæ fieri posse evacuationem, œconomiæ animalis leges docent, experimenta confirmant, teste *Gohlio* c), qui in constitutione epidemica Berolini brevi periodo per sola diaphoretica

a) Epid. l. 1. Sect. 2.

b) l. c.

c) Act. med. Berol.

retica intra quatriduum experientia ductus solvere Parotides didicit. Sudoribus non equidem tumultuariis, sed moderatis vix transpirationem parum auctam excedentibus, Parotides illas, quas sine ulla sensibili materie evacuatione solutas Auctores memorant.

2. Alter Parotidis inflammatoriæ exitus suppuratio est: uti enim omnes partes tensæ & sanguine infarctæ inflammationi subjacent, & cum non facile resolvi possint, suppurant; Parotis quoque huic legi submittitur; pus formatum sibi aliquando viam facit variam, aut in factam, ut in ductum Stenonianum, prorumpit, in aures ipsas, quod semper timendum, cum sæpe relinquat post se surditatem, vel alia mala. Etsi materies purulenta per aures evacuata visa sit, nec minimo relicto vitio, mirabiles has, ac sæpe innocuas naturæ vias experientia discimus, ratione non assequimur. Quando per suppurationem solvitur Parotis, videndum, an prius illud pus alibi factum fuerit, & per metastasim ad illum locum delatum, vel vero ipse tumor in suppurationem abiverit. Naturæ bonitate contingere videmus, ut pus aliquando in Parotide factum ad aliam deferatur viam, facile evacuandum, uti alvo purulenta, vel urina simili Parotis solvi, frequenter observata est: ex glandula ad artus pus depositum haud inter rara exempla habetur; sic ob loci ipsius saniorem conditionem & facile conciliari puri exitus, & ipsum ulcus felicius curari poterit: miras quoque sibi vias facit, ut & in thoracem ipsum pus transmittatur, immedicabile inde secuto empyemate ex apertura nimis retardata Parotis suppuratæ. Prio-

ris

ris genii, inquit *Frid. Hoffmann* a), ſolent eſſe illæ affectiones, quæ inveteratos, valdeque duros Parotidum tumores inſequi ſolent. Vidimus aliquoties ab applicatis externis gravia & vix ſanabilia pulmonum vitia, aſthma, phthiſim, tabem hecticam productam fuiſſe, dum noxius & valde cauſticus a diuturna incarceratione humor e ſua ſede expulſus per poros & interſtitia uſque ad pulmonem penetraverat, cujus membranis & veſiculis firmius inhærens acrimonia ſua hoſtili tot malis anſam dedit. Vidimus inſuper oris & linguæ ulcera a Parotidibus ſuperveniſſe, tractatis atque induratis ſuborta.

3. Ulcus fiſtuloſum corpus depaſcens ſæpe poſt Parotides videre eſt, præcipue, ſi obſequioſus nimis Chirurgus ad prima ſtatim puris apparentis ſigna tumorem incidat, malignæ, ut putant, materiei educendæ cauſa: pars obſtructa haud amplius in bonum pus coquitur, ſed ulterius ſerpendo ob ipſum profundum Parotidis ſitum fiſtulas facit, ex materie continuo reſorpta tabem immedicabilem creat.

4. Infauſtiſſimus exitus in gangrænam eſt; ab exceſſu enim inflammationis vel ab humore contento adeo pravæ indolis absque inflammatione in gangrænam abit: dari poſſe gangrænam prævia inflammatione experientia teſtatur: ſic videre fuit fæminam in Noſocomio eryſipelate laborantem, quæ ab ejus retroceſſione ad inteſtina intra ſpatium horæ,

a) Med. rat. T. 3. Sect. 4.

horæ, vel minime de dolore conqueſta, moritur: aperto cadavere inteſtina gangrænoſa deprehenſa fuerunt; triſtem hunc Parotidis exitum in febri epidemica Nœrdlingenſi obſervavit quoque *Geſnerus*, ubi a morte conſpecta Parotis dextra tumens nigra fuit.

5. Glandulæ ſemel infarctæ ob lentum in illis humorum motum ita indurantur, ut adhibita quacunque cura, vix reſolvi poſſint, tuncque ſcirrhus dicitur; tali quoque modo afficitur Parotis, & ſi quacunque de cauſa exacerbetur, in cancrum facile vertitur. Quam male inde ſibi proſpiciant miſeri illi, patet, qui imperitorum verbis confiſi, certam remediis quibuscunque ſcirrhi ſolutionem & ſperant, & exigunt: reſtantem per remedia fortia ſanitatem in illis debere deſtrui, aut ſcirrhum hactenus benignum in peſſimum mutari debere cancrum, quilibet Pathologiæ principiis imbutus videbit.

In ſcirrhum vel maxime illæ Parotides ſolent degenerare, quæ ſine manifeſta inflammatione pullulant, idque accidit temperamentis pituitoſis, ſcrophuloſis; hunc tumorem vidit *Iſenflamm* a) pravis tractatum remediis, vel etiam ſponte, in ulcus apertum, atque inſanabile ſcrophuloſum abiiſſe.

6. Retroceſſio Parotidis abſque ſequente alia evacuatione ſemper periculoſa, cum timendum, ne

a) Nov. act. natur. curioſ. Tom. 5. Obſervat. 49. p. 180.

ne facile ad alias partes transferatur. Multiplex periculum, & varium pro varietate affecti viſceris & neceſſitate ad vitam tunc ſupervenire videtur: ſic febris a retroceſſa Parotide oriri poteſt nova, priori pejor, fractis nempe jam viribus, ita vidit *Iſenflamm* a), Parotidem die morbi ſeptimo, nono, undecimo, cum ſigno coctionis & levamine abortam, materie ſine dubio retroceſſa, repente diſparuiſſe, febremque periculoſam inde ortam.

Subitam hanc retroceſſionem ipſe damnavit *Hippocrates* b), graves inquiens aurium abſceſſus, qui circa judicationem ſenſim conquieſcunt, & diſſipantur, damno ſunt; paucos ſolummodo caſus alio loco affert c), in quibus evaneſcentes Parotides ſine ſecuta evacuatione innocuæ fuere, ſed rariora exempla cum ſint, & in mitiſſimas ſolummodo Parotides cadant, harum retroceſſio carere periculo communiter dici nunquam poteſt. Applicatis licet optimis maturantibus Parotidi ſolvi aliquando renuit, & ſponte transfertur materies contenta in alium locum, quod tunc nec derivantia, neque eccoprotica impedire poſſunt; ſi illius materies maligna nervos invadat, convulſiones, paralyſes in irritabilibus excitat; anginam enim cum Parotide in puella quadam vidit *Clariſſ. de Haen* d), qua reſoluta convulſa periit.

a) l. c. p. 180.

b) Prædict. l. 1. n. 170.

c) Epid. l. 2. Sect. 2.

d) Obſ. 1. Vol. 1. Sect. 5. p. 305.

In prognosi Parotidis facienda, semper considerandа, tanquam morbus proprius, sive protopathica, sive deuteropathica sit, bonos, aut malos inde expectemus effectus: semper enim dubii hærere possumus de ejus exitu, cum & pereant, præsente, suppurante Parotide ægri, ac nunquam apparente, quod in febribus putridis præcipue locum habet.

Cum vix practici aliquam in Parotide spem ponant, pejor semper erit, primo, si illa apparente symptomata alia morbo superveniant, vel maxime inflammatoria; secundo, mala quoque, si causa doloris sit, de qua etiam *Hippocrates* tali in casu ita dicit a): quæ cum dolore oriuntur ad aures tubercula, perniciem minitantur; & *Baglivius* inquit b), Parotides rubræ nimium dolorosæ, sive sint participes, sive expertes suppurationis periculosæ, præsertim si alvus non fluat, biliosis. Tertio, si valde magna fuerit, ut antea vidimus, qualia mala supervenire possint, cum plerumque vires ipsius ægri superet. Quarto, si stipetur convulsionibus, aut aliis morbis nervorum. Quinto, non suppurans, aut pravi puris: ait enim *Hippocrates* c), Parotides ex acutis morbis, maxime in febribus ardentibus fiunt, & si non judicationem fecerint & matureſcant, aut ex naribus sanguis fluxerit, aut urinæ sedimentum crassum habuerint, pereunt, & alibi idem d): ex febri ardente

a) Coach. n. 193.

b) Pract. med. l. 1. de Parot.

c) Coac. prænot. n. 208.

d) p. 859.

dente abſceſſu circa aures non ſuppurato, raro ſervantur. Sexto, malam vocare poſſumus, quæ alvo fluida, & fætida aſſociatur; hic quoque *Hippocrates* ait a): in plurimis graveolentibus dejectionibus cum febre acuta præcordiorum contenſione ex longo intervallo oborta ad aures tubercula mortem adferunt. Septimo, materia depoſita loco pro evacuatione haud apto, atque ex loci natura reabſorptioni aptiſſima. Octavo, ſi non facile cedat medicamentis, ac in ulcera ſanioſa mutetur, vel in ſcirrhum, ex cujus præſentia continuus cancri ſuperventuri metus excruciat.

Ex contrariis ſignis bonam ejus prognoſim facile concipere poſſumus, cum ſi cætera ſymptomata imminuantur; ſi Parotis ſuccedat, vigentibus adhuc viribus ægri, nec tamen ſua magnitudine illas ſuperans bona erit; præcipue vero, ſi coctio facta fuerit, cum raro, ſi primis ſuperveniat diebus, levamen aliquod obſervetur.

In Parotidis cura ratio medica, theoria ſuadet, ut in cauſam & ſymptomata inquiramus, cum methodus pro illarum variatione diverſa eſſe debeat. Vel maxime intereſt ſcire, an febris adſit, nec ne, an alia febris in cauſa fuerit Parotidis, vel aliqua diatheſis maligna illam creaverit; tali cognitioni felicitas curæ innititur. Veteres ad hoc non multum attendentes in ejus curatione omnem impendebant operam, in qualicunque, & a quacunque cauſa orta Parotis fuiſſet, ut exitus daretur materiei contentæ, immo ſollicitos eos videre

a) Coac. n. 201.

fuit, dum alicui morbo Parotis superveniebat, ut per irritantia atque attrahentia, uti dicebant, major fieret affluxus humorum, putantes tali modo evacuari posse per illum locum morbificam materiem in toto corpore hærentem; ad id obtinendum varia adhibuerunt medicamenta; sic parti tumenti applicabant sinapismos, vesicantia, inde etiam caustica, ut lapidem infernalem, præparata ex antimonio, aliaque; ipsum quoque ignem ad promptam ejus aperturam adhibuerunt. Alii crudam adhuc Parotidem aperuerunt, nimis innixi effato *Hippocratis*, nempe, quo vergit natura, eo ducendam materiem esse; sic variam pro specierum Parotidis distinctione, variamque pro symptomatum concomitantium indole curam neglexere. Recentiores itaque, ut hos evitarent errores, optime divisiones ejus instituerunt: distinxerunt nempe Parotidem protopathicam a deuteropathica, criticam a symptomatica, & sic ulterius.

In omni Parotide tam protopathica, quam deuteropathica, nisi inflammatio adsit, conandum statim, quantum fieri potest, ut dissipetur idoneis medicamentis morbo, & symptomatibus accommodatis, quamvis *Celsus* dixerit a) de Parotide loquendo, animadversionem tantummodo hanc habet necessariam, ut si sine morbo id intumuit, primum reprimentibus experimentum fiat: si ex adversa valetudine illud inimicum est, maturari, & quamprimum aperiri commodius est; nempe protopathicam per discutientia tractandam, deuteropathicam per suppurantia esse voluit.

Pro-

a) l. c. 16.

Protopathica Parotis cum febre ſubito ſæpe oritur, materie heterogenea, febre excitata ad glandulas Parotides depoſita, febrim methodo ſua tractandam eſſe. Initianti Parotidi applicanda diſcutientia, regulæ practicæ docent; febris enim Parotidis cauſa cum ſit, Parotidis curam ſi tentares, materie exinde per ſuppurationem educta, effectum, cauſa relicta tentares: non enim, Parotide diſcuſſa a materie, ut equidem videtur, repulſa, quod timendum ſit, habes, febrili ſiquidem materie via, qua decet, evacuata, ea quoque, quam ad Parotidem deferri antea vidimus, de corpore exire facile patet.

Pueris quoque protopathicam Parotidem quandoque accidere Practici norunt, dum ante achorum eruptionem ad glandulas circa collum, & pone aures poſitas tumere ſæpenumero vident: tumores hos pro ſcrophulis ignaris imponentes, interne ſolventia, diſcutientia externe, erumpentes præcipue achores curant.

Protopathica Parotis chronica ordinarie, non inflammatoria a diatheſi maligna orta, ut plurimum ſcrophuloſa eſt; ſtatim ab initio convenit huic opponere remedia, cum triſti experientia conſtet, quam rebelles ſint omnibus remediis ſcrophuloſi tumores. Incipiendo itaque ab interno uſu ſolventium atque attenuantium, parti quoque applicentur fomenta ſolventia ex Cicuta, aliisque ſimilibus, aut emplaſtrum ex ipſa cicuta, diachylon ſimplici, vel cum gummatibus, ſapo venetus, varia præparata cum mercurio. Internus quoque ſolventium uſus negligi nequaquam debet, qua in re probe notandum, a mitioribus fieri initium debere,

cauta, ac ſuſpenſa manu ad reſolventia uſque aſcendi debere; ne reliquam adhuc corporis ſanitatem fortioribus, ac pro tumore conveniret, remediis deſtruas; in ſummo enim tumore, reſolventia, mercurialia; antimoniata impune ferri poſſe is plane ſolum dixerit, quem horum remediorum agendi vires omnino fugiunt.

Si Parotis inflammatione corripiatur, quod in febribus acutis, in ipſa quandoque putrida videre eſt, non aliter agendum, ac in quocunque tumore alio inflammatorio; itaque parti applicentur cataplaſmata emollientiſſima, *Celſus* uti jam notavit a), ſi quæ circa aures duriora, ad ea mollienda malva contrita, vel fænugræci, linive ſemen ex paſſo coctum ſuperaddendum eſt, aut fotus forma, aut vaporis; vario denique modo talia adhiberi poſſunt, ſat numeroſa in tanta materiæ medicæ abundantia: interne victus blandus vegetabilis, emolliens, remedia emollientiſſima, clyſmata & ſimilia: verbo totus apparatus antiphlogiſticus judicatur, febris putridæ Parotidem quidem, ſi exceperis; reſolutio equidem ſemper optatur, cum ſola perfecta inflammationis cura ſit.

Cum vero non ſemper in poteſtate artis ſit ſedare inflammationem, præcipue dum magna, aut ab initio neglecta, quod ipſi jam *Galeno* notum fuit b), magni ſiquidem, ait, morbi judicantur omnino, parvi ſolvuntur ſolum. Ad ſuppurationem tunc perveniat. Si itaque elapſum tempus reſo-

a) p. 328.

b) L. 3. C. 4. p. 493.

solutionis fuerit, ad maturationem cogitandum iisdem emollientibus, quæ pro benigna resolutione necessaria esse antea vidimus; essentialia enim maturantia, atque emollientissima remedia discrimen haud intercedere ex eo discitur, quod materiei obstruentis crassities, indoles vasorum major, aut minor mollities, non remedia, aut solutionem, aut maturationem determinent; & acria enim sæpe, ac quam emollientissima resolutionem æque, ac suppurationem feciſſe visa sunt. Si tanta non amplius inflammatio, aut dolor, solutio tamen haud speranda per gummata, aromatica, ut ammoniacum, galbanum, opopanax & alia, in quibus moderatus adest stimulus, una cum aliis emollientibus mixtis promovetur suppuratio; tunc aliquantum intenditur febris, ast statim, pure facto, remittit, teste *Hippocrate* a), circa puris generationem dolores, & febris magis augentur, quam pure facto; indicat vero pus esse factum remissio doloris spontanea, mollities, fluctuatio, in medio plerumque notata; prominentia, & sensus gravitatis. Apertura facta cruciali incisione ac pure educto, ulcus mundantibus, digestivis, balsamicis, uti in aliis ulceribus fieri solet ex artis regulis persanetur. Circa aperturam autem tumoris non omne tempus æque bonum est, neque duratio Parotidis aperturæ tempus hoc determinare potest; cum enim periculosum sit aperire locum ante perfectam maturationem, simulque mala plurima nasci possint, si pus factum nimis diu relinquatur in loco clauso; ideo magna diligentia inquirendum in ejus tempus.

a) Aphor. 47. Sect. 2.

Plena, perfectaque tumoris suppuratio, perfecta non in loco tumoris unico, sed tota ejus circumscriptione tempus cultro assignat, citius si incidas, ulcus fistulosum evitare haud poteris; ast oppositum quoque, ut evites vitium, sedulo cures; uti enim officiosa nimis diligentia exitum conciliare puri quidam student; sic alii nimis diu expectant; pus relictum mox acrius factum vicina arrodit, vias sibi quærit profundas, fistulosas; acrius factum, attenuatum, resorptum massam sanguinis inficit, solvit, febrim hecticam, mortem sæpissime inducens. Sponte aliquando pus sibi viam facit, ast sæpe ars chirurgica necessaria fit. Vario autem modo chirurgia aperturam, fieri debere, docet; acria emollientia sæpe sola sufficiunt; scalpello optime res peragitur: ast frequenter aliam etiam methodum adhibere cogimur, nempe per corrosiva, cum ægri morosi lentum dolorem cito evanido per incisionem excitato ignari quandoque præferant.

Quod si gangræna superveniat in Parotide pravo, livido colore, doloris plenaria cessatione cognoscenda, antiseptici locus est: interne vinum rhenanum, cortex peruvianus, camphora, radix arnicæ; externe scarificatio, fomenta aromatico-antiseptica ex ruta, scordio, decocto corticis peruviani, salicis albæ, vel & additis his aceto antiseptico, camphora, locum habent: hæc nisi juvent, lethalem hanc esse Parotidem tuto pronunciabis.

Cum vero in scirrhum mutata fuerit, non tam facilis ejus cura erit; si recens & benignus, tentandum per resolventia usque ad potentiora; externe nem-

nempe, atque interne præparata ex cicuta vel maxime laudantur, & magis, si interponentur cathartica: convenient hic, uti antea dixi, fomenta ex aceto cum sale alcalino; si his non cedat, relinquere potius scirrhum, quam acrioribus exacerbare convenit, ne in cancrum commutetur. Quod si fiat, nil, quod contra indicet, obstante, extirpatio sola supereſt.

Vidimus in variolis ex salivatione suppressa oriri Parotides: hoc in casu omnis cura in eo vertitur, ut fluxus salivæ suppressus restituatur; idcirco *Baglivius* ait a): Gargarismus cum malvatico vino (quod mihi familiare) in Parotidibus juvat, & ea, quæ sputum movent, prosunt pariter: nam emungunt excretoria glandularum oris vasa, a quorum concreta lympha nascuntur Parotides.

A perspirabili suppresso quoque Parotidem ortam dixi, ut *Clariss. Tissot* refert, & sola diæta cum infuso levi aromatico se ipsum, & alios sæpe liberavit. Itaque diaphoretica sola sufficiunt, uti ex infuso sambucino cum stybio quoque addito in harum Parotidum specie optime conveniunt, & alia similia: numerosa, quæ id confirmant exempla, videre est apud *Gohlium* b).

Frequentissima illa Parotis, quæ ordinarie in febribus biliosis, putridis, symptomatica succedit; curatur, uti ipsa febris, a qua originem suam ducit:

a) lib. c. p. 69.

b) Act. med. Ber. Dec. 3. an. 5.

cit: itaque emetica, cathartica Parotides jam formatas tali in casu curarunt, & una cum ipsa febre. *Clariss. Professor Stoll* a) casum fœminæ refert, quæ initio Junii inhorruit, æstuavit modo erroneo: cibo aderat fastidium. Elapso quatriduo Parotis sinistra prætumida dimovere maxillas prohibet. Ad nos venienti datum est hordei decoctum cum oxymelle & sale medio; demum emeticum: unde bilis plurima flava atque æruginosa ore, alvoque rejecta est; mitior febris, & Parotis multo minor. Emeticum ternis adhuc vicibus repetitum biduo, triduove singulis vomitionibus interposito. Copiosa semper educta bilis cum luculento levamine, donec post ultimam emeto-catharsim, & febris nulla fuerat, & tumor nullus. Sic varia exempla habet, neque mirum, cum primæ viæ impuræ in causa sint horum tumorum, & idem *Clariss. Stoll* ait b). Observationibus certis docemur, tumores dolorificos articulorum, parotidum, glandularum, locorumque pone apophises mastoideas &c. excitari a vitio procul remoto sistematis gastrici videlicet, eoque bilioso, ea res difficiles explicatus habet; sed sufficiat observationes haberi certas, etsi earum nos ratio fugiat. Cathartica quoque indicantur, dum Parotis nec discutientibus, nec suppurantibus cedit, sed dura semper manet.

Quod

a) l. c. p. 2.

b) Ibidem.

Quod pericula jam adsint a retrocessione subitanea Parotidis sine levamine, exempla practica demonstrarunt. Omnis in eo tunc cura vertitur, ut iterum, si fieri possit, Parotis revocetur, applicando parti emollientia, attrahentia, ut cucurbitas, etiamque irritantia acria, atque aliam simul instituendo evacuationem, ne aliquod viscus nobile afficiatur, quod obtinetur eccoproticis, digestivis; externe sinapismis, & vesicantibus, cauteriis ipsi loco affecto applicatis.

A Parotide critice soluta superveniens alvus salutaris, ne copia, ne frequentia debilitet, attendatur, ast, si a resorpto pure ac dissoluta massa humorum orta sit, omni conamine per antiseptica, acida mineralia succurrendum; vel maxime hic convenient cortex peruvianus, arnica, roborantia.

Si Parotidem concomitetur aliqua nervorum affectio ab istorum tensione solummodo orta, emollientia satisfaciunt; ubi vero ipsos nervos materia acris invaserit, antispastica & sedantia propinanda, quæ aliquando vix mortem præcavent.

In constitutione epidemica pro re nata cura variat, hinc attentus sit Medicus oportet, ut quantum potest, inquirat in ipsam causam, an ab aëre, an a cibis, an ab aliqua febre grassante Parotis dependeat; curam pro morbo & causa dirigendam esse quisque novit, ferme semper diæta tenuis cum leni eccoprotico requiritur.

Si

Si humores ita prædiſpoſiti ſint in aliquo corpore ad Parotidem generandam, vix tunc brevis cura ſufficit, ſed longiori uſu medicamentorum contra illam diatheſim convenientium, obſervata opportuna diæta, huic ſcopo accommodata, ſpem medelæ afferunt; quod ſi Parotis exulcerata ſaniem dimittat, bene attendendum, ne ſanies illa reſorbeatur; hinc per mundantia, antiſeptica, prius enumerata, purgandum ulcus eſt, quotidie ſic repetendo, donec perfecte ſanetur, non omiſſo interim tamen continuo medicamentorum internorum quam maxime neceſſario uſu.

XII.

XII.

JOANN. MICH. DE WELTHERN,

SAXO-TRANSYLVANI

DISSERTATIO

DE

PROGNOSI IN MORBIS ACUTIS.

Operæ pretium certo est, noviſſe illa ſigna, quæ docent malos in morbis acutis eventus metuendos eſſe: partim ut omni artis molimine medicus caveat, ne contingat illud, quod jure metuit, partim ut præſagio debito ſuæ caveat famæ, ne ipſius culpa periiſſe credatur æger, qui morbi vehementiæ ſuccumbit; ideo *Hippocrates* ſignorum in morbis acutis cognitionem omnibus commendans optime dixit: *Nam & eos, qui ſervari poſſunt multo etiam melius ſervare poterit, longe ante ſingula*

præ-

præmeditatus; & eos, qui tum obituri mortem, tum evaſuri ſint, ſi præviderit, prædixeritque, omni prorſus culpa vacabit.

Verum non ſolum medicis utiles & neceſſariæ ſunt prædictiones, ſed etiam ægrotis ſumme neceſſariæ & ſalutares ſunt. Hi enim de periculo vel ſalute prognoſticon audientes, eo magis medici præceptis obediunt, & exinde eo citius & certius priſtinam ſanitatem recuperare ſtudent.

Aſt omnia prævidere & prædicere in morbis hoc opus, hic labor eſt, nec niſi morborum omnium quoad ſubjecta cauſas, modosque lædendi accurata prorſus indagatione addiſcitur. Monente *Hippocrate morborum acutorum non omnino certæ ſunt prædictiones nec ſanitatis, nec mortis;* hinc medicus obſervato uno vel altero malo ſigno ſtatim non deſperat, neque bono, niſi reliquis circumſtantiis conſentientibus, nimium fidit, ſed ubi contraria & minus evidentia concurrunt, non niſi a potioribus concludere debet, & tantum ſub certis conditionibus aliquid certi promittere; nempe, niſi aliud quid contrarii ſupervenerit, ſi reliqua fuerint paria; ſi ægri & adſtantes ſua quoque præſtiterint, & ſic porro.

Omnis morbus acutus ex idea ſua periculum involvit, ſed non omnis æqualiter, majus autem vel minus periculum deſumitur a natura ipſius morbi, a cauſis excitantibus, a ſubjecto, & a ſymptomatibus plus minusve gravibus.

A Natura morbi.

Cognita morbi natura multum certe juvat in formanda prognosi; quo enim ex sua natura gravior est morbus, eo plus periculi involvit; hinc periculosiores sunt morbi maligni, quam benigni, continui, quam periodici, contagiosi & venenati, quam non contagiosi; putridi, quam inflammatorii & sic porro modo cætera fuerint paria.

A Causis excitantibus.

Ipsæ causæ excitantes bene consideratæ morborum effectus etiam manifestant, etenim quo causæ sunt graviores, vehementiores, & sublatu difficiliores, eo majus est periculum, & deterior eventus, ideo inflammationes viscerum abdominalium in morbis acutis provectis a bilis cæterorumque humorum acrimonioſa corruptione oriundæ, semper cum majori periculo conjunctæ sunt, quam eæ, quæ aut a plethora, aut ab orgasmo humorum originem ducunt; ideo etiam morbi a contagiis malignis orti semper majus periculum portendunt, eo, quod hæc miasmata subtilissima & valde operosa quocunque modo in corpus admissa ad intimiores usque recessus penetrant, humoribus intime se miscent, eoque ipso secundum indolem & motum suum eosdem inquinant, atque sic totam ipsarum temperaturam & crasin destruunt; quibus accedit, quod omnium venenorum indoles & modus agendi non æque semper pateat, aut si etiam pateat, vis tamen & operatio nimis cita & subdola sit; adeo, ut & medicum & ægrum præter omnem opinio-

nem fæpe fallant, & ſtragem ſubitaneam hominum relinquant, uti ex febribus malignis, & peſte ipſa ſatis ſuperque conſtat.

A Subjecto.

De morbi eventu facilius & certius judicare poteſt Medicus, ſi ſubjecti ægrotantis rationem exactam habeat, utpote cujus reſpectu periculum maxime variare neceſſe eſt; in ſubjecto conſideranda veniunt.

1) Ætas; periculoſiores enim ſunt febres acutæ in ſubjectis ſenilibus quam in aliis; nam in ſenibus cæteris paribus debiliores ſunt vitæ vires; quo autem hæ debiliores ſunt, eo minor ſpes eſt fore, ut materies morbifica concoquatur, & concocta e corpore eliminetur.

2) Sexus, in ſexu fæminino, ſi cætera ſint paria, morbi acuti periculoſiores ſunt, quam in maſculino; tum quia fæminæ minus ad morbos acutos prædiſpoſitæ graviorem ſupponunt cauſam, tum quia in illis vires vitæ debiliores minus ſufficiunt materiæ morbificæ concoquendæ & evacuandæ.

3) Temperamentum, in debilibus enim periculoſiores ſunt morbi acuti, quam in robuſtis, in illis enim difficilius materia concoquitur & eliminatur.

4) Vi-

4) Vitæ genus, ægrorum cuſtodes, Medici & Chirurgi noſocomiales periculoſius ex acutis decumbere obſervantur.

5) Valetudinis conditio morbum acutum præcedens maximam hic meretur conſiderationem. Cachectici, cacochymici, valetudinarii periculoſiores patiuntur febres acutas, quam antea perfecte ſani; quo enim eſt major humorum degeneratio, & major debilitas virium eo minus materiæ coctio, & critica evacuatio ſperari poſſunt. Venerei ex acutis decumbentes facile pereunt; aſt ſi accedat non raro vi medicatrice febris ex lue curantur.

A Symptomatibus.

Symptoma dicitur omnis ſenſibilis alienatio a ſtatu ſano in corpore ægroto apparens, modo ea a morbo & cauſa morbi ſit diſtincta. Symptomata in morbis apparentia per ſe numero infinita ad tres referuntur claſſes: videlicet ad actiones læſas, ad retenta & excreta; & ad qualitates ſenſibiles alienatas. Actiones autem corporis humani diſpartiuntur in vitales, animales & naturales.

Ab actionibus vitalibus.

Actiones vitales dicuntur illæ, quibus præſentibus vita adeſt, quibus abſentibus vita abeſt, huc præcipue conſideranda veniunt: pulſus & reſpiratio.

Pulsus dicitur ille motus cordis & arteriarum constrictorius & dilatatorius ab ipsius sanguinis motu excitatus & sustentatus, quo mediante etiam sanguis a corde per universum corpus distribuitur, rursusque ab eodem perpetuo recipitur.

Licet *Hippocrates* de pulsu parum sollicitus fuisse videatur, multa tamen quoad prognosim ex eodem deduci possunt; sed qui de pulsu recte judicare cupit, eum novisse oportet, quod varias pulsus patiatur mutationes, quas *Galenus* distinxit in naturales, non naturales, & præternaturales.

Naturales dixit illas, quæ ab ætate, a sexu, temperie, corporis habitu, animi affectibus, anni tempestate & similibus dependent, sic in viris, cæteris paribus, rarior & vehementior pulsus esse solet, quam in fœminis; infantibus & pueris celerior, quam in adultis, in senibus tardior, in obesis debilior, quam in gracilibus &c.

Mutationes pulsus non naturales dixit illas, quæ post validiora corporis exercitia, post longiorem cibi potusque spirituosi assumptionem, post validius animi pathema observantur.

Præternaturales autem mutationes vocavit illas, quæ a causis morbosis quibuscunque originem ducunt. Cavendum semper, ne mutationes naturales, aut non naturales pro præternaturalibus habeantur. Hic solummodo sermo est de mutationibus præternaturalibus. Quamdiu pulsus manet naturali similis, non fortis nimium, nec debilis, celer vel tardus, nec inæqualis observatur, tamdiu

diu circulationem bene succedere, indeque morbis quibuscunque resistendis sufficere colligimus. Raro enim, si forte unquam, uti dixit *Hippocrates* in morbis acutis, *pulsus bonus, urina bona, & æger moritur.* Sed si pulsus sit frequens, debilis, inæqualis, aut intermittens, malum semper exhibet signum, & quo debilior, inæqualior, intermittentior, eo pejor est prognosis; denotat enim vires vitæ multum imminutas, adeoque difficilem esse coctionem materiæ morbosæ, & ejusdem e corpore expulsionem. Excipe primo plethoram summam, & validam partis cujusdam membranosæ valde sensilis inflammationem, in his enim pulsus apparens debilis, post venæsectionem insurgens, non adeo malam suppeditat prognosin. Excipe secundo perturbationes criticas, in quibus brevis duratio, & absentia aliorum malorum signorum parum metus relinquunt.

Ad judicium rite prudenterque de pulsu formandum opus est, ut Medicus omnium pulsuum differentias, & gradus probe cognitas, usuque comprobatas habeat, sed & in ingressu ad infirmum non statim pulsum tangat, sed allocutione prius amica, & indagatione circumstantiarum, eundem tranquillum reddat, deinde pulsum non uno, sed pluribus, pro exigentia rei, locis exploret, digitis modo comprimendo, modo eosdem suspendendo; ex parte ægri in super requiritur, ut ab omni animi pathemate liber sit, manus in debito situ & omni motu alieno liberas servet.

A Respiratione.

Respiratio maximam in formanda prognosi attentionem meretur, etenim ab hujus integritate motus cordis & arteriarum, ipsiusque sanguinis intestinus & circularis sustentatur, nec sine eadem vita continuari potest; insuper ab hac certiora prognostica deduci possunt, quam a pulsu, non enim æque ac pulsus a levioribus causis immutatur, hac forte de causa *Hippocrates* longe plura de respiratione, quam de pulsu tradidit ad prognosis certitudinem facientia. Adeoque in omnibus morbis, præcipue tamen acutis, ubi præ cæteris his prognosticis opus est, respiratio libera, & facilis, maximam vim ad salutem ægri sperandam habet; etenim cordis, pulmonum, & reliquorum organorum respirationi inservientium integritatem, consequenter liberum sanguinis motum manifeste ostendit. Hinc in morbis acutis, quamdiu respiratio facilis & libera manet, licet plura alia mala adsint symptomata, minus desperandum est, quam si mala sit respiratio, & plura alia adsint symptomata minus mala.

Respiratio difficilis, frequens, anhelosa, inæqualis, intercisa, sublimis, aut solo abdominis motu peracta, malum suppeditat signum; & quo difficilior, frequentior, inæqualior, magis intercisa, eo pejor facienda est prognosis. Denotat enim impeditam pulmonum dilatabilitatem & minus liberum sanguinis ex corde dextro per pulmones transitum, quæ ad vitam sustentandam requiruntur.

Nota

Nota tamen ex mala conformatione thoracis in gibbosis, tumore abdominis in gravidis, & similibus causis respirationem lædi posse; quæ læsiones tunc ad prognosin minus faciunt. Respiratio fervida mala est; frigida autem est lethalis: frigida enim indicat gangrænam pulmonum; fervida vero summum ardorem circa vitalia designat, hinc magnum periculum portendit.

A functionibus animalibus.

Functiones animales læsæ merentur quoque Medici attentionem, si is futura in morbis prædicere velit; hinc præcipue considerandæ veniunt: animi affectus, sensus externi, & interni, actiones musculares voluntariæ.

Ab animi affectibus.

Carentia consuetorum animi affectuum, aut consuetis oppositorum præsentia, malum dat signum; & quo magis animi affectus a naturalibus recedunt, eo morbus periculosior pronunciari potest. Sic si ægri objectis alias adamatis non amplius afficiantur, malum est, mala quoque est deperdita alias consueta mentis hilaritas; mala morbi impatientia in homine alias patiente, excipe viros robustos alias nunquam ægrotos: hæc enim omnia denotant mutari naturalem statum sensorii communis, a quo animi affectus dependent.

A ſenſibus internis.

Equidem ſenſus interni eorumque organa immediate ad vitam conſervandam non faciunt, arcto tamen nexu adeo inter ſe cohærent, ut ſuam inter ſe, uti ſanitatem, ita ægritudinem ſemper communicent, conſequenter etiam teſtentur: hinc in quovis morbo ſenſus internos bene valere, & mente conſtare bonum eſt, juxta antiquiſſimum *Hippocratis* effatum, neque tamen quævis aberratio, vel quodvis delirium ſtatim funeſtum reputandum eſt. Dätur enim delirium ex peculiari idioſyncraſia oriundum, qua quidam leviori etiam febre laborantes delirare incipiunt; quod talibus in caſibus metuendum non eſt.

Datur quoque delirium criticum, quod a ſymptomatico dignoſcitur. 1) Quod fiat coctione prægreſſa, die critico, in ſtatu morbi. 2) Quod diu non duret, non ſit continuum, ſed interruptum. 3) Quod brevi ſeqnatur critica evacuatio, vel metaſtaſis ad partem ignobilem cum levamine. Tale quidem delirium non eſt malum; ſed delirium oum ſignis contrariis magnum ſemper minatur periculum; periculum valde eſt: ſi ægri judicio amiſſo neceſſarios & domeſticos non agnoſcunt, corpus ſine pudore denudant, feſtucas & floccos e ſtragulis colligunt, & rerum alias neceſſariarum obliviſcuntur; tandem nulla ſpes ſupereſt, quando inter hæc neque vident, neque audiunt, extremis liveſcentibus & frigeſcentibus.

A Somno & Vigiliis.

In ſpecie ex ſomno & vigiliis prognoſtica concludi poſſunt; ſi ſomnus moderatus & quietus excipit inquietudines, vigilias, deliria & convulſiones, ſemper indicat mentem ad tranquillitatem redire, indeque bene ſperare jubet, ſed ſomnus excedens, comatoſus, malus eſt, indicat enim deficere influxum liquidi nervei in organa ſenſuum & motuum voluntariorum, vel ob obſtructionem, vel ob preſſionem cerebri, vel ob vires vitæ debiles; quacunque ex his cauſis oriatur ſomnus comatoſus malum ſemper eſt ſignum. Sed uti ſomnus ſine modo continuatus; ſic etiam nimiæ vigiliæ malæ ſunt, ut cauſa & ut ſignum; ut cauſa, quia accelerando circulationem humorum, liquidiores diſſipant, remanentes inſpiſſant, & iisdem acrimoniam conciliant; ut ſignum etiam malæ ſunt; indicant enim nimium raptum humorum ad caput; inde metuenda gravia capitis mala præcipue deliria, convulſiones &c.

A ſenſibus externis.

A ſenſuum externorum valore, vel defectu certiora adhuc deduci poſſunt prognoſtica:

Viſus imminutus, obſcuratus, niſi præcedat vel vomitum criticum, vel hæmorrhagiam narium criticam malus eſt. In febre non intermittente, ſi æger neque videat, neque audiat, debilis jam exiſtens mors præ foribus eſt.

Visus depravatus; si igniculi, anguillulæ &c. obvolitantes videantur, malum est signum, nisi simul adsint signa hæmorrhagiæ narium criticæ; notat enim majorem sanguinis copiam ad caput ferri, hinc futurum delirium, phrenitidem &c.

Visus auctus, id est, intolerantia lucis mala est, indicat enim nervos valde tensos, & raptum humorum nimium ad caput, unde metus delirii, phrenitidis, aut convulsionum, excipe tamen, si immineat hæmorrhagia narium critica.

Auditus auctus in acutis malum dat signum, denotat enim tensionem nervorum vel ob siccitatem, vel ob inflammationem, vel ob majorem impetum humorum ad caput.

Auditus imminutus, surditas in acutis, variis temporibus & ob varias causas supervenit, & vix ullam certam prognosin præbet; plerumque tamen, si accedit, dum crescit adhuc morbus, gravioraque fiunt omnia symptomata, pravi est ominis; si vero accidit, quo tempore mitescere incipiunt pleraque alia, faustum exitum præsagit. Bona quandoque surditas præcedit hæmorrhagiam narium, aut abscessus ad parotides; tinnitus aurium, susurrus, bombus in acutis, nisi præcedant criticam narium hæmorrhagiam, vel parotides, vel abscessus pene aures, mala sunt; indicant enim auctum humorum motum ad superiora, hinc delirium, phrenitidem, & cætera gravia capitis mala portendunt.

Olfa-

Olfactus imminutus vel abolitus in acutis malus est, denotat enim organi olfactorii siccitatem ab humorum immeabilitate ortam.

Olfactus depravatus, quo æger fœtorem putridum percipit, quo cibi & potus & medicamenta ægro apparent putrida morbo provecto, signum est lethale; indicat enim totam massam humorum corruptam & putrilaginosam, quam corrigere impossibile est. Dictum est morbo provecto; etenim perceptus fœtor putridus in initio morbi oritur plerumque a saburra, & tunc tam malum non est signum.

Gustus abolitus vel imminutus cum linguæ orisque ariditate malus est: denotat enim pariter siccitatem organi a magno & notabili humorum lentore oriundam.

Gustus depravatus in initio morbi plerumque a saburra pendet, hinc adeo malum non est signum, ast in morbo provecto sapor putridus a corrupta tota humorum massa lethale etiam est signum. Stupor seu tactus imminutus malum est signum, indicat enim vel stasin humorum in capite fieri, vel factam esse, aut vires vitales multum esse imminutas; primum dignoscitur ex cæteris signis conjunctis encephali affecti, secundum noscitur maxime ex debilitate pulsus.

Ab actionibus voluntariis.

Hæ etiam in formanda prognosi suam conferunt symbolam; huc considerandæ veniunt: lassitudo,

do, debilitas muſcularis, tremor, convulſio, jactitatio, decubitus. Magna laſſitudo & debilitas in principio acutorum, ut plurimum putridi vel maligni morbi eſt indicium; indicat enim deficere influxum liquidi nervei in muſculos, vel ob immeabilitatem humorum, vel ob affectum preſſumque cerebrum, vel ob vires cordis debilitatas; excipe tamen debilitatem ſpuriam: 1) A ſaburra turgente; 2) A plethora ſumma; 3) Ab inflammatione gravi viſceris cujuſdam nobilis.

Tremor, quo validior eſt in initio morbi, eo gravior prædicitur morbus; denotat enim graviorem morbi cauſam, adeoque morbum cauſæ proportionatum; tremor in decurſu febrium putridarum & malignarum malus eſt: indicat enim, vel congeſtionem humorum in capite, vel acre rodens, vel magnam morbi malignitatem.

Tremores cum magna virium debilitate peſſimi.

Tremores cum delirio vix non lethales; monet enim *Hippocrates:* qui mente aberrantem, ſuperveniente tremore, certo moriturum affirmat, non fallitur.

Convulſiones in acutis ſemper ſunt periculoſæ, hæ enim graviter affectum encephalum denotant; excipe tamen convulſiones variolarum, morbillorum, & aliorum exanthematum eruptionem præcedentes, ſi nulla alia mala ſymptomata has concomitentur, hæ enim non adeo periculoſæ ſunt; quin imo ex his variolarum benignitatem prædixit *Sydenhamus;* periculoſiores ſunt convulſiones

siones in decursu morbi, quam in initio, ratio hujus est, quia in initio oriri solent vel a plethora, vel a rarefactione humorum, vel a saburra irritante, quibus causis facile medela adfertur. Ast in decursu morbi oriri solent a stasi humorum in capite, cui tam facilis non fit medela. Periculosiores sunt convulsiones ceteris paribus in adultis, quam in infantibus, periculosissimæ sunt in senibus; adulti enim & senes minus sunt irritabiles, adeoque minus prædispositi ad convulsiones, hinc graviorem in his supponunt causam, ob eandem rationem minus periculosæ sunt in hystericis & hypochondriacis, quam in robustis. Convulsiones a capite incipientes cæteris paribus pejores sunt. V. g. dum musculi capitis, faciei, colli primo convelluntur, malum est indicium: denotant enim causam in encephalo hærere, & cerebrum graviter affectum esse. Si post urinam crassam prius emissam mox aquosa & pellucida succedat, & convulsio superveniat, pessima est: denotat enim retineri in corpore salia & olea acriora calore febris reddita, & nocere hæc præsertim encephalo; hinc discrimen est, ne tenera encephali vasa destruantur, hisque destructis necessario mors inferatur. Pessimæ sunt & fere lethales, quæ fiunt cum perpetuo delirio, denotant enim cerebrum affectum & continuo irritatum, hinc summum periculum; eo pejores sunt convulsiones, quo plura simul adsunt alia prava symptomata.

Subsultus tendinum, qui convulsivus sunt motus, adeo damnati a multis Medicis, sæpe tamen, in variis morbis acutis, quorum felix est exitus, a primo initio, ad convalescentiam usque observantur; hinc malum quidem sunt signum &

en-

encephali irritationem denotant, attamen tanquam signum lethale non nimis sunt reformidandi.

A Decubitu.

Porro quoque ex ipso decubitu ægrorum aliquid de futuris præsagire possumus; hinc enim si naturali quam maxime similis fuerit, morbum mitiorem, cui superando corpus minus gravatum sufficere poterit significat; sed malus est, qui sanorum decubitui similis non est, aft eo pejor, quo magis ab eo abludit. *Hiopocrates* optimum dixit decubitum in alterutrum latus, & manus, cervicem, crura modice inflexa, & omne corpus molliter dispositum, ita enim plerique homines cubare solent. Talis decubitus validum adhuc musculorum robur adesse denotat, hinc functiones, a quibus id dependet adhuc admodum illæsas supponit. Decubitus supinus extensis pedibus & brachiis malus est, denotat enim tantas non esse vires musculares, ut ad alterutrum latus decumbere possit; excipe tamen, si æger in sanitate sic decumbere assueverit. Malus est decubitus supinus, si æger manus, pedes, pudenda denudat; indicat enim delirium vel magnas anxietates, a quibus multum metuendum est; excipe, si æger multum caleat, tunc tantum non minatur periculum. Pessimus est & fere lethalis decubitus supinus, si æger ad pedes delabitur, notat enim languorem ingentem, & musculos resolutos esse. Si caput ita postrorsum reclinetur, ut totum collum appareat, vel ita antrorsum flectatur, ut mentum pectus contingat, pessimum quoque est signum; denotat enim muscu-

lo-

lorum caput sustentantium resolutionem, estque proximum hoc mortis indicium.

Ab aliis quibusdam motibus.

Linguæ porrectio impossibilis est vix non lethalis: denotat enim resolutionem musculorum motui linguæ inservientium, adeoque originem, a qua nervi linguæ motorii oriuntur, graviter esse affectam.

Motus manuum ludentes, floccos carpentes, muscas captantes, lintea convolventes pessimi sunt ominis! notant enim cerebrum graviter affici, & metuenda deliria, phrenitides, convulsiones.

Huc notandum venit symptoma, quo ægri tactum quasi refugiunt, quod solus fere notavit *Hippocrates*, & male habere monuit. In talibus ægris, dum Medicus digitos carpo admovet, pulsum exploraturus, manus subito resilit, si rogentur, quare manum retrahant, dicunt se hoc nescire; idem contingit, si Medicus linguam attingat, lethale plerumque est hoc symptoma; videtur tunc in sensorio communi tanta irritabilitas esse, ut a levissima etiam nervorum mutatione totum turbetur corpus, unde brevi convulsiones metuendæ sunt.

A functionibus naturalibus.

Hæ pariter Medici prognosticantis attentionem merentur, præcipue autem hic considerandæ sunt: appetitus, sitis, deglutitio.

Ab Appetitu.

Bona est in omni morbo salutis nota, si æger cibum potumque moderate appetat, & ad ea, quæ eorum loco offeruntur, bene se habeat; siquidem his subsidiis vires conservantur, ut morbi cujuscunque vehementiæ magis resistere queant.

Ast appetitus prorsus prostratus malus est, ut signum, & ut causa; ut signum, quia indicat functiones naturales multum esse læsas; ut causa, quia si deperdita non restituantur, vires debilitatæ non sufficiunt materiæ concoquendæ & eliminandæ, hinc natura succumbere debebit, minus tamen periculum inde est in acutorum initio, quam in augmento, nam in initio plerumque appetitus prostratio a saburra dependet, quæ causa facile auferri potest. Pessimum est, si ægri omnem cibum aversentur, præcipue si hoc fiat ex delirio, vel ex corruptione putrilaginosa humorum.

Appetitus magnus subito post magnam inappetentiam ortus mortem brevi secuturam indicat.

Dele-

Deletus in convaleſcentibus appetitus malus eſt ut cauſa, & ut ſignum; ut cauſa, quia virium deperditarum reſtitutionem impedit.

Ut ſignum, quia denotat vel ſaburram adeſſe, vel viſcera digeſtionis debilia vel menſtrua digeſtioni inſervientia quantitate vel qualitate peccare; hinc recidivæ metum.

Subitus appetitus in inſolita in morbis acutis plerumque boni eſt ominis, hinc, quæ ægri ſummo cum deſiderio appetunt, concedenda, niſi certam inde prævideas perniciem.

A Siti.

Sitis nullo potu explebilis, exitialis eſt, indicat enim vel magnam humorum immeabilitatem, vel magnam eorundem acrimoniam.

In febribus non intermittentibus, ſi externa frigeant, & ſitis detineat ægros, mortiferum eſt, ut jam monuit *Hippocrates*; nulla ſitis, præſente tamen hujus cauſa, peſſima eſt, indicat enim vel delirium adeſſe, vel ſenſibilitatem adeptam, adeoque multum pati encephalon.

A Deglutitione.

Deglutitio ſonora, in qua ingeſta, quaſi ab alto in ventriculum delabi audiuntur, peſſima eſt; & pauci præſente hoc ſymptomate evadunt. De-

glutitio impossibilis, absque manifesto faucium & œsophagi vitio apparente lethalis est: notat enim musculorum deglutitioni inservientium paralysim, & plerumque depositionem inauferibilem ad caput factam esse.

Ab excretis & retentis.

Excreta & retenta medico circa prognosin formandam multa consideranda suppeditant; præcipue alvus, urina, sudor, hæmorrhagiæ.

Ab alvi dejectione.

Qui ex alvi dejectionibus aliquid concludere contendit, is respectum habere debet causarum, morborumque complicatorum, nec non excretorum ipsorum, quæ, si critici fiunt, & causam morbi tollunt, vel solum imminuunt, in bonis naturæ habendæ sunt, & contra: hinc dejectiones serosæ, viscosæ vel biliosæ, in affectibus ab ejusmodi impuritatibus oriundis liberant; neque cruentæ hypochondriacis & cachecticis semper nocent, modo reliqua consentiant. Sed nimis aquosæ, serosæ, spumosæ, putridæ & fœtidæ, in miliaribus, petechiis, nec non in phthisicis, & viribus alias exhaustis causam malorum istorum tollere nequeunt, viresque eo magis destruunt, indeque communiter tristem eventum præsagiunt; quemadmodum etiam illæ dejectiones, quæ præter sensum rationemque subito & confertim fiunt in languidis, sensuum jam abolitionem, adeoque perniciem ostendunt. Lex

est

est universalis ab *Hippocrate* jam cognita, illas juvare evacuationes, quas bene ferunt ægri, si post singulas dejectiones melius se habeat æger, si mollescit abdomen, rarior fit pulsus, insurgunt vires, sedatur sitis, quietior est somnus, tunc licet valde copiosæ dejectiones, nunquam timendum est, & omnia fausta speranda sunt.

Diarrhæa in morbo provecto, cum meteorismo lethalis est; denotat enim insanabilem intestinorum gangrænam.

Ab Urina.

Imperitus & infelix reputatur Medicus, qui multa ex urinis habita præsagia discernere & dijudicare non potest; & hoc non sine omni ratione; etenim licet ineptum & absurdum sit, cum medicastris quosvis morbos, nullo modo cum sanguine, vel urina communicantes, & quod eo magis absurdum, causas extrinsecas, ætates, sexus, aliaque hariolare velle; propterea tamen nihil impedit, quo minus sanguinis, utpote ex quo lotium illud immediate secernitur, & multo magis viarum, per quas transire idem lotium debet, sanitas & morbi exinde dijudicare possint & debeant; sed antequam Medicus de urinis judicium ferat, aut ferre possit, varias circumstantias probe perspectas habere debet, quæ urinarum conditionem etiam in statu sano mutant, videlicet: ætatem, sexum, vitæ genus, tempus decubitus, medicamenta adhibita, tempus & modum excretionis. Hæ enim omnes circumstantiæ, eum, qui has ignorat, in errorem facile deducere possunt.

Ab Urinæ Subſtantia.

Qui perpenſis probe hiſce circumſtantiis accurate urinarum ſubſtantiam, ſeu conſiſtentiam, quantitatem, colorem, & contenta contemplatur, is non pauca ſalutis æque ac mortis prognoſtica deducere poterit, & quidem ratione conſiſtentiæ: Urinæ craſſæ, denſæ & fæculentæ, cujuscunque coloris, in morborum augmentis & decrementis copiam quidem ſalium, & impuritatum in corpore, aſt eorum ſeceſſum ſimul, adeoque nihil periculoſi, quin potius ſalutem præſagiunt, modo reliqua conſentiant. Ex ea ratione urinæ primum tenues, deinde per ſe, aut poſt adhibita remedia craſſiores redditæ, in febribus tam intermittentibus, quam continuis, nec non malo hypochondriaco, ictero, ſcorbuto, calculo, arthritide, affectionibus ſoporoſis, aliisque ſemper bonum eventum præſagiunt.

Contrariæ vero malum, nempe tenues albæ, vel rubicundæ, a corporibus ejusmodi morboſis cacochymicis, ſi redduntur, docent ſalia & olea acria retineri, indeque, niſi in craſſiores mutentur, in omnibus morbis acutis ingens periculum, imo cum aliis malis ſignis mortem prædicunt; inde enim metuendæ ſunt depoſitiones ad caput, unde deliria, phrenitides, convulſiones &c. plurima hanc in rem prognoſtica ab *Hippocrate* & *Galeno* collecta habentur.

A Quan-

A Quantitate.

Urinæ quantitas duplici modo peccare potest, nempe excessu & defectu. Naturalis urinæ quantitas minor quodammodo esse debet, quam quantitas ingestorum liquidorum: horum enim quædam partes in corporis nutrimentum facescunt, quædam per alias vias, diarrhæa, sudore, transpiratione vel salivatione dissipantur, ideo si copia urinæ, quantitatem liquidorum ingestorum longe superet, quantitas excedens dicitur. Hæc post urinæ suppressionem in hydropicis, nephriticis, morbi solutionem, & salutem promittit. In morbis autem aliis in corporibus, alias tenerioribus, viribus exhaustis, siccis, hecticis, phthisicis mali semper est ominis, & semper nocet, nisi forte aucta urinæ excretio aliam imminutam excretionem compenset. Sed præter naturam deficiens, aut plane suppressa urina serum illud in viis suis a calculis, carunculis, vel aliis obstaculis intercipi, aut ad alia loca decumbere monstrat, quod utrumque malum. In acutis vero aliisque præcipitibus malis interceptiones tales cum aliis signis funestis convulsiones interiores, apoplexiam, vel mortem afferre significant, monente jam *Hippocrate.*

A Colore.

Color naturalis urinæ est subaureus vel citrinus cum substantia, seu consistentia mediocri & sedimento albo & levi, talis in hominibus sanis deprehenditur, & debitam humorum elaborationem,

debitamque crasin indicat. Ast, quo magis a naturali hoc colore urinæ recedunt, absque aliis causis manifestis, & in morbis alias magnis, acutis, & periculosis, eo minus salutarem eventum sperare licet, nisi criticæ excernantur, & meliores paulo post sequantur. Urina pallida, tenuis, aquosa, mala est, nisi sit urina potus: designat enim talis urina, retineri in corpore illa, quæ per has vias naturaliter de corpore evacuantur; olea nempe & salia sanguinis acriora reddita magis adhuc nocitura, quia in morbis acutis omnia citius in corruptelam vergunt, quam in sanitate. Observatur & talis urina quandoque, dum sanguis inflammatoria densitate immeabilis redditus, aquæ quantumvis copiosæ ingestæ, miscelam respuit; unde potus assumptus statim per urinæ vias elabitur; hinc patet ratio illius asserti *Hippocratici*: mala est quoque (urina) quæ post potum cito mingitur, maxime in pleuriticis & peripneumonicis. Merito ergo damnavit *Hippocrates* urinas albas & tenues, tanquam admodum vitiosas, & in phreniticis maxime tales urinas apparere dixit. *Galenus* asserit se nullum phreniticum sanatum vidisse, qui talem urinam emisisset, in alio loco dicit: si in ardente febre tenuis & alba urina appareat, designat phrenitidem, si vero jam adest phrenitis, prædicimus mortem. Si post urinam crassam prius emissam, mox aquosa, pellucida exit, dein convulsio fit, pessima est: notante *Bœrhaavio*.

Urina rubicunda in febribus auctam valde circulationem, & validum attritum fluidorum & solidorum inter se, etsi absque febribus tales, imprimis crassæ redduntur, ut sæpe fit in scorbuticis & hydropicis, [viscerum depurantium labem &

cor-

corruptionem in receſſu habent, nec periculo carent.

Urina in acutis rubicunda & turbida, ſeu quæ poſt emiſſionem cito præcipitatur, & clareſcit, propter facilem ſeceſſum impuritatum, ſemper meliorem eventum & breviorem liberationem teſtatur, quam rubicunda & tenuis, flammea, ſanguinea, quæ, ſi in ſtatu, & ſummo gradu febrium acutarum cum aliis malis ſignis perdurat, mortis quoque imminentis notam exhibet. Omnium tamen peſſimæ ſunt urinæ liveſcentes & nigricantes in morbis acutis & chronicis, ob ingentem humorum degenerationem & corruptionem; quæ exinde patet, niſi forte criticæ, aut ob cauſam quandam extrinſecam, uſum nempe martialium & ſimilium tales fiant.

Urinæ nigræ tenues & paucæ in febribus acutis lethales ſunt, monente jam *Hippocrate*.

A Contentis.

Contentæ urinæ certe multum quoque conducunt ad dignoſcendam organorum ſecretoriorum & ſanguinis conditionem, a qua ſalus ſperari, aut fatalis eventus metui poteſt.

Urina mucoſa, craſſa, cruditates viſcidas, aut ſaburras acidas indicare ſolet; ſabuloſa ſive cretacea, ſive laterina copiam excrementorum ſalinorum & terreorum denotat. Sanguinolenta & purulenta eroſionem vaſorum in viis urinariis prodit, quæ viſa, prout magis vel minus excedunt,

& cum morbi magnitudine, ægrique viribus prudenter conferuntur, Medicum omnino de eventu quoque fideliter monere ſolent; ita urinam cruentam in laterum doloribus, id eſt, pleuritide & peripnevmonia, nec non variolis, morbillis, petechiis, peſte, aliisque acutis ut plurimum lethale ſignum dare *Hippocratis* & communis Medicorum experientia teſtatur; prodit enim ingentem acrimoniam & diſſolutionem ſanguinis, quæ nonniſi cum ſummo vitæ periculo conjuncta.

A Sudore.

Sudoris modus, quantitas, qualitas, ſi conſiderantur, multa ad prognoſin formandam ſuppeditant: nam omnis ſudor in febribus acutis bonus eſt, & plerumque ſudor in initio morbi malus eſt, niſi ſit in morbis a ſuppreſſa tranſpiratione, aut abundantia feri in ſanguine. Salutaris habetur is, qui contingit coctione prægreſſa, die critico, morbo & viribus ægri proportionatus, tepidus, non ſolum in extremitatibus, ſed univerſo corpore, & cum levamine erumpit, id jam notaverat *Hippocrates*; ait enim: ſudores in omnibus morbis acutis optimi ſunt, quum & diebus criticis fiunt, & febrim prorſus auferunt. Boni quoque, qui toto corpore manant, & faciunt, ut homo facilius ferat morbum, qui vero nihil horum fecerint, non utiles. Sed ſudor frigidus, interruptus, paucus vel largus in extremitatibus, vel circa caput tantum & faciem & cervicem, multum ſemper timendus eſt; etenim in morbis acutis gravioribus, ſi ſimul concurrant alia mala ſigna, mortem, in mitioribus autem mali longitudinem *Hippocrati* jam

præ-

prænunciabat, quandoque sudor universalis, tepidus, sed nimius, & continuus, cum repentina virium imbecillitate dimanans in morbis acutis, ob impetuosam sanguinis resolutionem, præsentaneum vitæ periculum habet.

Ab Hæmorrhagiis.

Hæmorrhagia pariter a tempore, quantitate, qualitate & loco eruptionis hic æstimandæ veniunt, consideratis etiam simul natura morbi, ægri temperamento, consuetudine, aliisque. Siquidem hæmorrhagiæ in plethoricis, sanguineis, calidis, vini potatoribus, & similibus non solum vere, sed etiam aliis temporibus, a natura per nares, vel alia loca apta excitatæ, nec nimis largæ, nec nimis parcæ, a multis morbis præservant, & ex his causis ægrotantes quoque liberant.

Ast hæmorrhagiæ nimiæ, citra illas causas, & indicantia, inconvenienti tempore, modo & loco ortæ semper exitium portendunt, brevius vel tardius, prout morbus magis vel minus urget, & vires corporis resistere valent. Sic sæpe lethale est sanguinis sputum in acutis, lethalior autem sanguinis mictus, designant enim tantum esse sanguinis impetum, ut vasa rumpat, vel salia & olea adeo acria esse, ut vasa erodantur, a quacunque ex his causis hæmorrhagiæ in his locis oriantur, funestum semper præsagiunt eventum: unde etiam & mictum cruentum & violentam sanguinis e pulmonibus eruptionem pro certissimis mortis signis habuit in variolis *Sydenhamus*, fateturque se nul-

la methodo has hæmorrhagiás compeſcere potuiſſe.

Neque hæmorrhagiæ nimis parcæ & per ſtillicidium ſolum factæ quidquam prodeſſe poſſunt, potius ſanguinis immeabilitatem, ſtagnationem, viriumque imbecillitatem, & in acutis infallibile exitium portendunt. Si adeſt ſitis, & ſi ſedatur poſt hæmorrhagiam optimum eſt ſignum, inde enim demonſtratur hæmorrhagiam fuiſſe vere criticam, quod in ſe ipſo verum invenit *Proſper Alpinus.*

A qualitatibus Senſibilibus alienatis.

A Facie.

Quamvis facies citra morbos, a variis admodum cauſis extraneis quoad figuram, colorem, aliasque qualitates toto die immutetur in hominibus, & e contrario in morbis chronicis, ubi ob viſcerum obſtructiones & corruptiones, mors ſæpe in propinquo eſt, facies nihilominus a colore naturali non adeo recedit, imo magis rubeſcit. Aliter tamen res ſe habet in febribus acutis, ubi facies etiam rubicunda, ſi cum anxietate præcordiorum, difficultate ſpirandi, vigiliis, aliisque gravioribus ſymptomatibus conjungitur, internas inflammationes & phrenitidem lethalem portendit; præcipue ſi vultus torvus & ſupercilioſus accedit; niſi forte criſis mox ſuperveniens per hæmorrhagiam, diarrhæam, abſceſſus pone aures vel ſimiles, eam ſolvat. Peſſima vero in morbis acutis eſt facies Hippo-

pocratica, ubi nimirum ut ipse scribit *Hippocrates*, nasus acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, lobi auricularum distorti, cutis circa frontem rigida, contracta & arida, & color totiùs faciei suppallidus, niger etiam & lividus aut plumbeus; ubi demum color totius faciei nimium a naturali subito recedit, tempora collabuntur, frons arescit, nares, auresque frigidæ contrahuntur, & oculi in cavo subsident: ex his enim omnibus motus sanguinis, & reliquorum humorum sensim deficere; viresque omnes vitales collabi, manifeste colligitur. In reconvalescentia si supereſt faciei languor, si oculi nitorem, cutis colorem & mollitiem non recuperent, metus est ne imperfecta sit curatio, & aliquod subsit adhuc vitium, & *Hippocrates* tanti fecerat faciei inspectionem, quam multi faciunt quoque omnes Medici, ut jam scripserit, inquirendum autem hac ratione in acutis morbis, primum in faciem ægrotantis, utrum similis sit benevalentium faciei, aut sibi ipsi, sic enim esset optima, quæ autem contraria est eadem & difficillima. Non sine ratione ergo jussit *Celsus:* ut Medicus neque in tenebris, neque a capite ægri resideat, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat.

Ab Oculis.

Oculi plurima & certissima signa dare solent in morbis: nec mirum cum & in sanis animi affectus varios in oculis observare liceat, & prima ingruentium morborum indicia sæpe in oculis appareant. In debilibus, post morbos prægressos homi-

minibus primum renascentium virium indicium major oculorum vigor dare solet: unde non sine ratione dixit *Hippocrates*: oculi ut valent, ita totum corpus; quoniam non nisi purissimo & optimo sanguinis succo nutriuntur, & in nitore suo conservantur, quo ergo gravius læditur & turbatur ejus massa, eo quoque magis oculos affligi, & a splendore suo remittere necesse est, sed tamen ante omnia indagandum, an mutationes in acutis a morbo isto, quo decumbit æger, an vero ex aliis causis accidentalibus externis vel internis pendeant, nam non hoc, sed illo tantum casu aliquid certi ad prognosticum monstrare possunt.

Oculi rubri, scintillantes, caliginosi, nimis protuberantes, eorum distractio involuntaria, ferocia; palpebrarum quoque contractio, vel dilatatio, lacrymarum fluxus involuntarius, aliaque ejusmodi insolita symptomata, ex febre acuta orta, nisi prægressis pepasmi signis & instante critica narium hæmorrhagia, aut depositione ad Parotides, aut alia crisi contingunt, semper periculosissimum ægri statum, videlicet, delirium, convulsiones & mortem ipsam præsagiunt, quo sensu intelligenda sunt illa *Hippocratis* prognostica quicunque in febre continua muti jacent, clausis oculis, subinde conniventibus, siquidem e naribus sanguis effluxerit, vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad se ipsos redeant, servantur, quodsi nihil horum acciderit, in difficilem respirationem redacti brevi moriuntur.

Si oculi lucem effugiunt, aut prævertuntur, aut alter altero minor sit, aut candidam rubedinem habeant, vel lividas aut nigras venulas, aut sublimes

limes tumidive, vel cavi admodum fuerint, vel obtuti, squallidi & sine splendore; hæc omnia mala esse, & exitiosa censendum.

Oculi feroces horridi & audaces delirantium ac phreniticorum proprii, plerumque convulsionem accersent, aut mortem cum aliis signis malis. In febribus acutis oculorum perversiones semper malæ. In febre non intermittente si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, non audiat, ægro jam debili existente, quidquid horum evenerit, mors proxima est.

Admodum lethale signum esse monuit *Hippocrates*, si per somnos palpebris non commissis, aliquid ex albo subappareat, neque ex diarrhæa, aut purgantis potione hoc factum fuerit, neque æger hoc modo dormire solitus est, excipe etiam hic, si lux vivida directe in faciem ægrotantis incidat.

Oculi sicci, squallidi, pulverulenti, luctuosissimam instantis jam mortis imaginem exhibent. Contra vero pro optimo signo habuit *Hippocrates* oculorum nitorem in morbis, unde dixit: oculorum puritas & alba illorum ex nigris vel lividis pura fieri, criticum. Si igitur cito depurentur (oculi) celerem crisim significat; si tarde tardiorem. Cum ergo tam utilia ex oculis deduci possint prognostica, patet eos magna cum attentione a Medico esse considerandos.

Ex

Ex Lacrymis.

Si ægri manifeſtam ob cauſam lacrymas fundant, v. g. audito mortis periculo, vel dum charas vident proles &c. bonum plerumque eſt ſignum, cum ſolitis tunc moveantur animi affectibus. Verum ſi absque cauſa oculi lacrymis madent, malum eſt; unde *Hippocrates* in acutis male habentibus ægris, volutarias lacrymas bonas dixit, involutarias vero malas. Unicum tamen excipe caſum ab *Hippocrate* jam exceptum, in quo lacrymæ involuntariæ futuræ criſeos, per hæmorrhagiam narium, ſignum dant; ſi nempe tales lacrymas alia peſſima ſigna non comitentur, ita enim habet *Hippocrates*: quibus in febribus acutis, maxime in ardentibus, invitæ affluunt lacrymæ, illis ſanguinis e naribus profluvium exſpectandum eſt, ſi & reliqua pernicioſa non habuerint; male enim habentibus non hæmorrhagiam, ſed mortem portendunt. Quandoque etiam accidit, ut ægri vultus mœrorem exprimat, interdum cum lacrymis, interdum ſine iis, licet nondum tamen oculi adeo ſquallidi appareant: ſi rogetur triſtitiæ cauſa, negat ſe triſtem eſſe.

Peſſimum hoc eſſe ſignum aſſerit *van Swieten*, quod in ægris aliquoties vidit.

A Lin-

A Lingua & Faucibus.

Non minus linguæ, dentium & faucium inſpectio & obſervatio in ægrotis præſagia futuri eventus multum confirmant, aut ad minimum illuſtrant. Licet enim hæ quoque partes citra aliquem morbum gravem, a multis cauſis extraneis ſæpe mutentur, & contra in morbis variis interdum parum vel nihil, ægris nihilominus pereuntibus; nihil tamen impedit, quo minus per morbum acutum enormiter mutatæ partes iſtæ quoque ad præſagium confirmandum maxime conferant, ſane quamdiu lingua ſanorum ſimilis, callida mollis, rubicunda & conſtans in febribus, adhuc temperiem ſanguinis, & lymphæ non penitus deſtructam eſſe ſignificat, & bene ſperare jubet; ſed nimis arida, aſpera vel plane fiſſa, liveſcens & nigreſcens, aut multo ſquallore obſita, & frigida, nimium ſuccorum a temperie naturali receſſum indigitat; & cum aliis ſignis malis exitium præſagit, omnium certiſſimum ſi ſitis ſimul abeſt, ex quo præterea ſenſus abolitio innoteſcit: ita, ſi quis in ejusmodi morbis acutis dentibus ſtrideat non conſuetus, inſania ſignificatur & mors ſecundum *Hippocratem.*

Utrumque enim, & convulſio gingivarum, & inſania oſtendit graviſſimam affectionem cerebri, & generis nervoſi, quæ niſi per criſim aliquam cito ſolvatur, non niſi mortem ſecum trahere poteſt. Quemadmodum etiam in iſtis acutis & malignis faucium ipſarum dolores & ſtrangulationes, aut diſtorſiones, nullo tamen apparente tumore ex eo-

dem

dem fundamento perniciosæ sunt, censente *Hippocrate.*

In morbis acutis aliquoties species contractionis, alias demissionis in labiis percipitur, quarum prima spasmodicum, secunda paralyticum vitium denotat; pravi quoque ominis est summus rubor & præsertim livedo, quoad dentes, ubi lenta, viscida tenaci, fusca sorde, squallidi sunt; pertinacia gravitasque febris inde demonstratur; crescit morbus, quamdiu hæ sordes increscunt; optimum est præsagium, ubi solvi incipit, humiditasque gingivis, nitor dentibus redeunt.

Ab Hypochondriis.

Videtur *Hippocrates* sollicite observasse, quomodo se haberent hypochondria, atque inde plurima præsagia tam ad salutem, quam interitum deduxisse.

Optimum prænunciavit hypochondrium, si doloris expers, & molle ac æquabile, & in dextris & in sinistris. Signum autem morbi mali moris esse dixit: si hypochondrium inflammatum, inæqualiter se habens, aut dolens fuerit. Significat enim viscera ibidem posita inflammata, adeoque aut mortem brevi secuturam, aut periculosam admodum suppurationem orituram, ideo dixit: tumor autem durus & dolens in hypochondrio pessimus quidem, si totum hypochondrium occupaverit: sin vero in altera tantum parte fuerit, minus periculosus, qui in sinistra. Verum significant tales tumores in initio quidem, periculum esse mor-

tis

tis brevi futuræ; si vero febris vigesimum diem superet, nec tumor interea subsidat, in suppurationem vertitur.

Tensio hypochondrii tam in dextra, quam in sinistra parte ab *Hippocrate* inter signa futuræ hæmorrhagiæ narium criticæ, præsertim si alia signa adsint, quæ humorum raptum ad superiora denotant; uti sunt dolor capitis, hebetudo visus, tensio ad cervicem &c. Sed simul diserte monet talem tensionem esse tunc sine dolore & inflammatione.

Notavit tamen etiam, quod quandoque dolorificam hypochondrii tensionem in primo morborum circuitu excipiat salutaris narium hæmorrhagia, hinc si etiam hypochondria dolent, cum signis futuræ hæmorrhagiæ narium non semper adeo mali erit ominis.

Tumores hypochondriorum molles, doloris expertes, qui digito prementi cedunt, nihil mali portendere solent; jam notavit idem *Hippocrates*, dicens: at in dextris sublati tumores, qui magna quidem ex parte molles sunt, maximeque prementi, si quid submurmuraverit, non admodum maligni existimandi sunt.

Flatulenti enim hi tumores videntur esse, etsi hypochondria stricte dicta occupent hi tumores, in ventriculo aut intestino colo videntur potissimum hærere. Si tamen talis tensio & inflatio hypochondriorum cum aliis pluribus malis signis jungatur, mortem cito instare concluditur. Fit enim tunc vel a putrefactis humoribus materiem elasti-

cam generantibus, vel etiam a resolutione ventriculi & intestinorum, unde non amplius dilatantibus causis resistunt, sed expanduntur, unde in moribundis sæpe præcordia & totum abdomen in æquabilem tumorem attolluntur.

Hæc sunt, quæ pro mea inaugurali Dissertatione in compendio adducere concluseram.

XIII.

XIII.

THADDÆI STRIBEL,

STYRI - MARBURGENSIS

DISSERTATIO

DE

ANEURYSMATE.

Aneurysma tumor est, plus, minusve pulsans, corde, vel arteriis in aliquo sui loco dilatatis, vel eorundem soluta continuitate natus.

Lancis. l. de aneur. prop. 4. in generali aneurysmatis definitione tumoris mentionem non facit, nisi, ubi species illius distinguit, ac si tumor non esset de essentia aneurysmatis. Et prop. 5. clarius adhuc definit: *Non omne aneurysma sub tumorum genere deprehendi, cum ea, quæ compressis arteriis fiunt, sub genus hæmorrhagiarum*

cadant. Sed ſic non aliter eſt, ac ſi nulla arteriæ dilatatio ſub hoc genere poneretur. Verum neque tunc aneuryſmatis nomen meretur, niſi tumor, in celluloſam effuſo ſanguine, adfuerit. Hinc in propatulo eſt: quare *ſimplex arteriæ vulnus, quia id ſine tumore eſſe poteſt, definitionem aneuryſmatis alterare non debeat, cum tale vulnus ſimplex nullo modo aneuryſma dicendum ſit,* ut advertit idem Lanc. l. 2. prop. 7. ubi, notandum eſſe monet: *Sectionem arteriæ, per quam ſanguis libere, & extra corpus fluit, non eſſe verum aneuryſma, cum hoc malum reducatur ad genus vulnerum, & hæmorrhagiarum. Nihilominus tamen, quia ex hujusmodi inciſione frequentiſſime tumor oritur, qui aneuryſma dicitur, non immerito &c.* Vid. Lanciſ. l. & prop. paulo antea c.

Solet autem communiter aneuryſma dividi in verum, & ſpurium.

Verum aneuryſma dilatationem arteriæ dicit, & eſt tumor durus, pulſans, ut plurimum cuti concolor, major, vel minor, qui, preſſus, retrocedit, &, preſſione remittente, denuo redit.

Aneuryſma ſpurium eſt, quod vulnus completum arteriæ ſupponit, & eſt tumor amplus, ut plurimum late ſeſe diffundens, obſcure pulſans, rubro, purpureo, vel livido colore defœdatam cutim exhibens, qui, preſſus, non retrocedit, ſed ſtrepitum, & murmur edit, a ſanguine, ex arteria læſa in celluloſam effuſo, natum. Hæc diſtinctio aneuryſmatum conſueta fuit Chirurgis.

Apud

Apud *Hippocratem* quidem aneurysmatis nulla fit mentio.

Galenus vero, & post illum, alii plures illius meminerunt. Hinc utramque illius speciem jam cognoverunt quidem veteres, sed nomine proprio singulas non distinxerunt. Sic *Galenus* l. de tum. scribit: *Ore in arteria facto, affectio aneurysma vocatur. Fit autem*, continuat ille, *vulnerata ea, cum ad cicatricem devenerit, quæ ei adjacet, cute. Manet vero arteriæ vulnus, ea, neque conglutinata, nec ad cicatricem perducta, neque a carne obstructa. Cujus affectio cognoscitur, dum pulsus, quem arteria facit, fit. Sed etiam, cum premitur, delitescit omnis tumor, recurrente in arteriam substantia, quæ eum efficit. Vulnerata aneurysmatica arteria ejaculatur sanguinem ita, ut vix contineri possit.* Atque, ubi, quam ob rationem fiat, dixisset, prosequitur: *Redditur multo latius, maiusque aneurysma, ni quis grumus ingenitus ex aneurysmate sideratione faciat.* Porro de cur. rat. per sangu. miss. c. 21. sic loquitur: *Verum propter difficilem arteriæ in fluxu compressionem arterias Medici incidere nequeunt, quippe, cum, si quis, in secanda forte vena, arteriam vulneret, ægre statim sanguinis eruptio compescitur; at, ubi res optime cedit, ad cicatricem aneurysma reductum, divisum, tamen aneurysma exsistit.*

Ex his *Galeni* locis videtur quidem, eum tantum aneurysma spurium, quod vulnerata, & discissa arteria eveniat, cognovisse; tamen, si signa, quibus cognoscatur aneurysma, & tumor aneurysmaticus, spectentur, nempe: *Eum pulsare, pres-*

ſum, retrocedere, & evaneſcere, & vulneratum, ſanguinem fundere, & iterum: *Tumorem aneuryſmaticum interdum latius diffundi, dum nempe grumus in aneuryſmate ingenitus eſt*, evidens fit: eum utrumque, & verum, & ſpurium aneuryſma vidiſſe, licet naturam eorum non adeo explanaverit, & utrumque inter ſe non diſtinxerit.

In Finit. Med. Gal. adſcriptis melius hæc adhuc dilucidantur: *Aneuryſma*, ait, *id eſt, dilatatio, venoſi vaſculi relaxatio eſt, aut ſpirituoſæ materiæ diſperſio ſub cute.* Notandum autem hic eſt: Vaſa, ſanguinem vehentia, venoſa dicta fuiſſe vel maxime; ut igitur, ubi de vaſe venoſo hic loquitur Gal. vas arterioſum intelligi debeat.

Paul. Æginetta, *aneuryſma unum cum apertura vaſculorum arterioſorum, aliud vero ruptione fieri*, ſcribit. Et patet ex ſymptomatibus, & curandi ratione: prius, noſtrum ſpurium, poſterius noſtrum verum fuiſſe.

Ipſe Goræus in Definit. Med. confuſam quidem dat aneuryſmatis definitionem; aſt in ejus deſcriptione ſat clare duas ſpecies diſtinguit, quarum una: *digitis cedentem, rotundum*, altera: *duriorem, & tantum cum ſtrepitu, cedentem, & prolixum apparentem tumorem exhibet.*

Aëtius longe clarius de aneuryſmate loquitur: *Vaſorum dilatationem*, ait, *græci ἀνεύρισμα vocant. Notæ illius ſunt: tumor, parvus, vel magnus, concolor cuti, citra dolorem, attactu mollem, ſpongioſam laxitatem præſefert, & ita ad digitorum preſſionem cedit, ut propemodum eva-*

evanescere videatur. Verum, amotis digitis, citissime revertitur. Quod in vero aneurysmate, & in reliquis, quæ sine vulnere fiunt, præcipue videre datur. Verum, continuat ille, *ubi arteriæ vulnus præcessit, &, deorsum coalescente cute, vasorum dilatatio accessit, tumor non similiter mollis.*

Ex quibus locis patet: V. V. duas aneurysmatis species, non nomine quidem, sed symptomatibus diversas, distinxisse. Quapropter mirari oportet, Freünd. in Hist. Med. unam aneurysmatis speciem ex V. V. scriptis expunxisse, quarum tamen utraque satis inde intelligitur.

Lancis. qui pulchrum certe de aneurysm. nobis tractatum reliquit, non communi sensu in divisione aneurysmatis procedit, quod monere oportet, ne legendo A. A. quibus methodus illa præ aliis præplacet, confusionem incurramus. Ille, Lancis. nempe: non ex diversitate symptomatum, sed ex diversitate rationis, & causæ, a qua aneurysma producatur, illud in *legitimum*, & *spurium* divisit.

Legitimum aneurysma, illud dicit: quod fit, *dum arteria, a quacunque causa, ita debilitata est, ut ordinarium sanguinis moti impetum ferre non possit, quin, vel dilatetur, vel rumpatur plane.*

Spurium autem appellat, *quod non pendet a debilitate arteriæ præexsistente in illa, sed ab impetu sanguinis, ultra naturalem auctu, quo*

naturalis arteriæ resistentia ita vincitur, ut, vel dilatationem, vel rupturam experiatur.

Divisio hæc notari meretur, quia quælibet harum specierum verum, & spurium includit, communiter dictum, pro ratione nempe intensitatis causæ, in arteria ipsa, vel in motu sanguinis positæ, dilatantis solum, vel plane rumpentis arteriam.

Verum enim vero cum in ordine ad diagnosin, prognosin, & curationem plurimum interst, aneurysma aspectu externo potius, quam per causas, quæ nos sæpe latent, distinguere, ideo hanc Lancis. divisionem aneurysmatis, utpote hac ex causa aliis longe inferiorem, sequi non oportet.

Alia aneurysmatis divisio est in *externum*, & *internum*.

Externum est, quod in parte corporis externa: internum, quod in interna obtinet.

Estque internum iterum vel aneurysma *cordis*, vel aneurysma *arteriæ*. Quippe: dum partes essentiales cordis, vel partes, ad illud pertinentes, dilatantur, etiam aneurysma dixerunt.

Apud V. V. divisio aneurysmatis in internum, & externum non obvenit; interim etiam aneurysma illud ipsis notum fuisse non videtur, donec sæculo 16. Vesal. primus tumorem, parietes thoracis elevantem, & pulsantem pro dilatatione arteriæ habuerit, negantibus id Medicis, donec cadaveris apertura id docuisset.

Ve-

Verum argumentis ista omnia demonstravit Morgagni in l. de sed. & caus. morb. per Anat. deteg. epist. 17. cujus rei rationem dat, *quod in animalibus, quæ antiquis temporibus ad anatomen ut plurimum adhibita fuere, aneurysmata interna non adeo sint frequentia;* quod inde dependere autumat Albertinus Comm. Acad. Bonon. tom. 1. *quod animalia animi affectibus non ita ac homines violenter moveantur*, unde quidem non infrequens aneurysmatum internorum in hominibus origo est. Plura id confirmantia exempla habentur apud Dionys. & Harv. Apud hunc quidem ab indignatione suppressa auriculæ dextræ & cordis aneurysmata orta fuisse leguntur. Nec mirum, si, quid animi affectus in homine possint, recogitetur.

An autem illa, quæ communiter viget, aneurysmatis in verum, & spurium divisio ad dandam de aneurysmate vero, & spurio distinctam ideam sufficit? Postquam variis hanc in rem observatis ars ditior facta est, omnino manca esse videtur. Habemus enim primo: casus, in quibus arteria in toto suo ambitu præternaturaliter dilatata fuit; habemus alios casus, in quibus tantum in uno suæ circumferentiæ loco in tumorem protuberabat, & ipsa arteriæ substantia saccum aneurysmaticum formabat. Frequentissimi hi sunt.

Sed, præter plures alios, Heister. in definit. anatom. etiam aneurysmatis meminit duplicis speciei. In utraque specie præternaturalis arteriæ dilatatio obvenit.

Aſt, ſunt ſecundo alii caſus, in quibus, diviſis omnibus arteriæ membranis, arteria, perfecto hians vulnere, ſanguinem in vicinam celluloſam effundit, unde tumor naſcitur lividus, prolixus, non adeo ſe reprimi patiens, vix pulſans.

Verum tertio proponit Clariſſ. Monroo in Act. Edimburg. tom. 2. num. 16. aliam aneuryſmatis ſpeciem, quæ non fit præternaturaliter dilatata arteria, ſed, illa, perfecto vulnere diviſa, nec tamen cum tumore prolixo, a ſanguine in celluloſam effuſo, ſed cum tumore pulſante, retrocedente, dum premitur, omnibusque aneuryſmatis veri ſymptomatibus. Sequenti autem modo id fieri credit Clariſſ. Monroo, *quando*, inquit, *vulnus arteriæ parvum eſt, & ſanguis per vulnus, integre fere clauſum, exire non poteſt, coagulatur proximus vulneri, per quod effluit, quo coagulo ſanguis ulterius impeditur, ne in celluloſam ſe effundat, quod coagulum brevi in lamellatam mutatur membranam, quam ex ſanguine conquaſſato naſci, oſtendi. Quod ſi*, continuat, *membranoſus hic concretus ſanguis, incluſus, e vulnere effluere impeditus fuerit, affectus in hoc caſu ſimilis erit rotundo cyſtico tumori, qui, commotus, per vicinas arterias, vel per ſanguinem, foramen apertum urgentem, arteriam iterato motu pulſantem exhibebit, donec, vel ob magnitudinem tumoris, vel ob ſanguinis concreti quantitatem minuatur, qui demum tumor, dummodo non magna ſanguinis copia adfuerit, preſſus, retrocedit, ſanguine fluido adhuc, per arteriæ foramen intrante.* Continetur in hac ſpecie ſanguis in ſacco quodam, ſed non arterioſo; arteria enim non dilatata eſt, ſed diſciſſa.

Ana-

Analogam hujus rationem dat Kunter. in Act. Med. Lond. tom. 1. num. 26. Celeberr. hic Medicus ſpeciem aneuryſmatis ſpurii conſtituit, quod omnibus notis vero eſſet ſimile, & nonniſi diligenti ſectione, & nota cauſa ab eo diſtinguendum, in hoc tamen ab illo diverſum, quod ſaccus, in quo ſanguis continetur, non ſit arterioſus, ſed factus ex celluloſa, arterias circumdante, quæ per ſanguinem, ex vulnerata arteria effluentem, compreſſa, facile in ſimilem firmam membranam concreſcit, coagulo per ſanguinem cellulis illis inducto. Similia aneuryſmata utique veris adnumerari non poſſunt, quia arteria dilatata non eſt, ſed perfecto vulnere diviſa. Sed neque ſpuriis etiam adnumerari poſſunt, quia ſymptomata alia illa concomitantur, quam quidem ſpuria comitari ſolent.

Quapropter, ut ordinatam aneuryſmatum diviſionem habeamus, ſequentem rationem potius inire præplacet. Itaque aneuryſma, quale definivimus: eſſe tumorem, plus, minusve pulſantem, arteria, aut corde dilatato, aut ejusdem ſoluta continuitate, natum, communiter diſtinguitur in aneuryſma *cordis*, & *arteriarum*.

Aneuryſma vero arteriarum diſtinguitur: I. *In aneuryſma cylindroides arteriæ.* II. *In aneuryſma cyſticum arterioſum.* III. *In aneuryſma cyſticum ſpurium.* IV. *In aneuryſma ecchymoticum.* V. *In aneuryſma venoſum.*

Aneuryſma cordis dicitur præternaturalis ventriculi unius, vel amborum, aut auricularum cordis dilatatio. Plurima etſi hujusmodi aneuryſmatum proſtent exempla; frequentiſſime tamen in ven-

ventriculo cordis dextro obſervantur, cum is ſiniſtro debilior ſit, & facilius dilatabilis. Frequentiſſime etiam in auriculis, & ſinubus obſervatur, ut ex ſectionibus cadaverum conſtare prop. 25. affirmat Lanciſ. Cujus ratio in laxiori, & minus reſiſtente partium ſtructura poſita eſt.

Aneuryſma cylindroides arteriæ dicitur, quando arteria in tota ſua circumferentia præternaturaliter dilatata eſt. Aneuryſma hoc in externis arteriis raro obſervatur, aſt in internis, quibus major libertas eſt, ut in aorta, in carotidibus, frequentius obſervatur. Quinque talia exempla l. antea c. adducit Kunter. unicum in arteria poplitea refert Cl. de Haen Rat. Med. tom. 5.

Aneuryſma cyſticum arterioſum. Aneuryſma tale des Sauvages aptiſſime inter tumores cyſticos reponit, quia ponit: ſanguinem hærere in facto quodam membranaceo ſacco, ex arteria dilatata nato. Quod ſi ſaccus aneuryſmaticus ex dilatata in aliquo ſui latere arteria conſtet, & formet aneuryſma, cyſticum arterioſum id dicendum erit. Similium aneuryſmatum tum interne, tum externe natorum exempla plura habentur. Huic ſpeciei optime quadrat aneuryſmatum a des Sauvages data definitio, nempe, quod ſit: *Cyſtis, cruore plena, ab arteriæ alterutra tunica dilatata.*

Aneuryſma cyſticum ſpurium dicendum eſt illud, quod conſtituitur ſacco membranaceo, ſanguinem coërcente, qui tamen ſaccus non a dilatata arteria formatus eſt, ſed eſt ſpurius, vel ex ſanguine, de arteria, quæ vulnerata ſupponitur, effluen-

fluente, natus, vel ex celluloſa, arteriæ circumdante, formatus. In utroque caſu ſaccus eſt adventitius. Hæ tres aneuryſmatum ſpecies iisdem ſignis ſe manifeſtant, nempe: tumore pulſante, cuti concolore, qui preſſione retrocedit, & remittente preſſione, redit.

Aneuryſma ecchymoticum dicetur ille tumor, qui vulnerata arteria, ſanguine in celluloſam vicinam effluente, naſcitur; non concolor cuti, non rotundus, ſed lividus, latius diffuſus, non pulſans, niſi magnum arteriæ vulnus fuerit, unde ſanguis effluit, preſſione non retrocedit, ſed latius ſeſe expandens, ſtrepitum edit. Species hæc aneuryſmatis ab ecchymoſi non aliter diſtinguitur, quam, quod ibi ſanguis e vena, aut fractis parvis arteriis, hic vero ex arteria profluat, & majori quidem, ut jam monitum fuit. Non inepte cæterum, ad diſtinctionem ab aliis aneuryſmatum ſpeciebus, aneuryſma hoc aneuryſma ecchymoticum dicitur.

Ex hucusque dictis omnino intelligitur, cauſam proximam omnium aneuryſmatum conſiſtere in præternaturali arteriæ dilatatione, vel tali arteriæ vulnere, ut ſanguis quidem inde effluat, non tamen per integumenta erumpat, prius vulnere nullo exſiſtente, vel arteria nimis parva obſtructa.

Quapropter in numerum cauſarum remotarum recenſendæ veniunt omnes illæ, quæ arteriæ præternaturalem dilatationem faciunt, quæque continuitatem laterum canalis ita ſolvunt, ut ſanguis inde effluere poſſit, nec tamen per vulnus in cute fa-

factum, vel vulnere nullo præsente, extra corpus fluere.

Eædem omnino causæ utramque possunt arteriæ conditionem inducere, pro ratione nempe intensitatis, qua agunt. Sic ex. gr. vulnus unam, alteramve arteriæ tunicam lædat; potest causare arteriæ dilatationem; sed vulnus idem, si in arteriæ cavum usque penetret, facit aneurysma ecchymoticum, vulgo spurium. Quod, cum ita sit, licet omnium aneurysmatum causas simul percurrere.

Causæ itaque aneurysmatis remotæ aliæ sunt, quæ ipsam arteriam immediate ita disponunt, ut impetum sanguinis ferre non possit, quin rumpatur, vel saltem dilatetur. Aliæ vero sunt, quæ sanguinis motu, præternaturaliter in parte aucto, arteriam in præternaturalem dilatationem cogunt, vel rumpunt.

Ad primam causarum classem pertinet *vulnus*, *punctura*, vel *sectio*, arteriæ inflicta, quibus vel omnes arteriæ tunicæ dividuntur, vel una, alterave tantum illarum. Frequenter tales casus post venæsectiones eveniunt, dum, pertusa vena, cuspide lanceolæ subjecta arteria vel læditur, vel plane pertunditur.

Alia causa est *contusio*. Notum enim est, contusione, lacerata continuitate partis, contusam arteriam debilitari posse, ut ita soluta, dilatationem admittat. Nati a contusione aneurysmatis exemplum recenset Lancis. prop. 22. Homo quadragenarius arcæ ligneæ ictu in sterno susceptο post le-

leviſſimam tuſſiculam cum ſanguineis ſputis de dolore profundo conqueritur, quem pulſatio ſubito ibi loci excepit. Sectum cadaver exhibuit ſaccum aneuryſmaticum, mali punici magnitudine, in antica & dextra flexuræ aortæ parte protuberantem. *Diſtractio* alia cauſa eſt. Partem in diſtractione debilitari debere, ſequitur, ſi conſideremus, elongatas fibras a ſe mutuo removeri, ex quarum propinquiori contactu robur dependet. Verum diſtractarum fibrarum aliquæ etiam erumpi poſſunt, aliis vicinis integris manentibus, unde partes debilitantur. Malum hoc deſcribit Hippocrates *ruptionis;* Galenus vero *vulſionis* nomine: *Dicitur ruptio fibrarum, dum fibræ muſculares vi amplius diſtrahuntur & ſeparantur in carnibus, aut venis, a laboribus, a caſibus, & ſi quis onus magnum tollat, & a curſu, & a luctu.* Exemplum aneuryſmatis a diſtractione nati ex Act. Acad. Pariſ. l'hiſtoir. de l'academ. des ſcienc. l'an. 1700. pag. 50. refert *Illuſtr. van Swieten* in Comment. ad Aphor. 176. Bœrhaav. Alia cauſa eſt *eroſio.* Humores noſtros acrimoniam poſſe contrahere talem, ut non tantum molles partes, ſed ipſa etiam dura oſſa rodant, in propatulo eſt; quot concipi poſſunt rodentes in corpore vivo acrimoniæ, tot ſunt ex hoc capite aneuryſmatum cauſæ adſignandæ. Aneuryſmatis in dextra carotide in matrona hyſterica & ſcorbutica; in ſubclavia ſiniſtra in venditore pecorum & cytharædo, hominibus venereis exempla adfert Lanciſ. propoſ. 31. & 33.

Alia cauſa eſt *inflammatio* & *ſuppuratio.* Conqueſtus eſt Monroo in Act. Edimburg. *parum de inflammatione majorum vaſorum cogitari, in qui-*

quibus tamen, ad oculum injectionibus demonstrari, constat, & inflammationem, & omnes inflammationis exitus locum habere posse. Quodsi igitur inflammatio, in arteriæ majoris lateribus orta, in suppurationem transierit, consumpta tela cellulosa arteria debilitata, impetui sanguinis ferendo impar, vel debilitari, vel rumpi plane poterit. Sponte nata aneurysmata sæpe tali causæ adscribenda erunt. Hujus causæ observationem nobis dedit *Illustriss. ac Magnif. Archiater L. B. de Störck* Anno Med. 2. Cad. 14. *Arteria aorta*, inquit, *ex sui principio, ad pollicis latitudinem, suppuratione adfecta fuit.*

Alia causa est, *congenita & hæreditaria ad aneurysma vasorum constitutio, & dispositio.* Sicuti multarum partium vitia congenita esse possunt, ita etiam aneurysmatica arteriæ, in aliqua sui parte debilitatæ, diathesis congenita esse potest, qua fit, ut sensim sanguinis impulsui cedens arteria in saccum aneurysmaticum dilatetur.

Non tantum congenitum, sed & hæreditarium tale vitium esse posse, exemplo ostendit Lancisius prop. 74. *Istius*, inquit Lancis. *istius hæreditariæ dispositionis exemplum præbuit nobilissima quædam familia, in qua quatuor se se excipientes generationes, proavum, avum, patrem, & filium pessimo hoc mali genere*, Aneurysmate nempe, *vexatos fuisse, nobis innotuit. Qui satis cesserunt, aneurysma cordis palam ostenderunt incredibile; qui vero adhuc in vivis est ex tertia generatione, talibus symptomatibus affligitur, quæ merito latentis mali suspicionem injiciunt.*

Alia

Alia causa aneurysmatis cystici est, *nimium aneurysmatis augmentum*. Nimia enim distractione saccus aneurysmaticus disrumpi potest, unde sanguis effunditur, in cellulosam effluit, & fit aneurysma spurium, quod ecchymoticum appellavimus.

Porro *paralysim arteriæ*, advertente Lancis. causis aneurysmatis adnumerant. Verum, cum non tam facile concipi possit, quasdam tantum musculi cavi, qualis arteria est, fibras paralyticas fieri, quæ ad causandum aneurysma requirerentur, credit cum illo Clariss. Monroo, raro, si unquam, aneurysma ab hac causa ortum fuisse. Hæc sunt vitia, quæ, arteriam debilitando, aneurysmatum causæ reperta sunt. Quæ vero, impetu, præternaturaliter aucto in parte, arteriam in præternaturalem dilatationem, aut in ruptionem cogunt, sunt sequentes.

Clamor, vociferatio, vomitus, nixus, saltatio, animi affectus vehementes. Quatenus his omnibus de causis sanguinis motus ultra naturalem vim augetur, fortius ad arteriæ latera agitur, & aliquem locum, qui naturali minus resistit, aut magis sanguinis moti impetui exponitur, in saccum aneurysmaticum distendere potest. Inde fit, ut plerumque aneurysmata, ab hac causa orta, arteriam aortam in curvatura sua teneant; cum directus sit sanguinis, a corde acti, in eam impetus, qui in aliis arteriis lateralibus tantum latera ferit; & ut etiam frequenter in arteriis subclaviis eveniant, quia illæ, aliis arteriis liberiores, vicinis partibus non adeo sustentantur.

Porro alia, huc ſpectans, cauſa eſt: *mercurii nimius uſus.* Omnium fere Medicorum conſenſu aneuryſma facili negotio ex mercurii abuſu proficiſcitur. Ita Goræus, Ballonius, aliique adpoſitis exemplis indubiam rei fidem nobis certam fecerunt. Ratio eventus in mercurii pondere eſſe videtur, quo inprægnati humores noſtri majori momento motus in arteriarum latera irruunt, magisque & violentius ea afficiunt. Accedit, & magnam attentionem meretur, omnia ſolvi in hominibus labe venerea infectis, quibus plerumque mercurialia adhibentur. Parietes, acri eroſos, & debilitata eſſe vaſa, ipſasque arterias adjacentibus partibus quandoque eroſis, ſuſtentaculis privari, minus reſiſtere, unde fit, ut majori momento motus irruentem ſanguinem minus ferant, quin præternaturaliter inde jam dilatentur, vel rumpantur penitus.

Alia cauſa eſt, *arteria in aliqua ſui parte oſſea.* Arteria, in aliqua ſui parte oſſea facta & rigida, actionem cordis utique experiri non poteſt, quia ad cedendum inepta eſt; unde fit, ut impetus ſanguinis, qui cæterum toti arteriæ dilatandæ impendebatur, nunc fortius agat in partem illam arteriæ, quæ eſt proxima obſtaculo, quod in arteria oſſea & rigida objicitur cordi, unde violentius dilatatur, & victa. ſenſim illius naturali reſiſtentia, in aneuryſmaticam magnitudinem cogitur. Lancifius de hac cauſa altum tenuit ſilentium. Scarpius in Tractatu de operat. chirurg. primus illius cauſæ meminiſſe videtur. Confirmavit hoc Mekel in Hiſt. Academ. Scient. Berolin. Heürmann in Chirurgia ſua duplicem adfert caſum. In viro invenit aortam ſupra diaphragma triplo, vel qua-

quadruplo majorem, infra diaphragma solito multo minorem. In fœmina infra diaphragma per longum tractum osseam, supra diaphragma quidem aneurysmatice dilatatam. Arcum aortæ perfecte osseum, crassum, & in transitu angustatum, ut nec parvus digitus admitti potuerit, refert Illustriss. ac Magnif. Archiater L. B. de Störck Anno Med. 2. Cad. 13. sed simul inventus est ventriculus cordis sinister in magnum saccum membranaceum extensus.

Alia hujus classis causa est: *trunci & ramorum, e trunco ortorum lumina solito minora.* Celeb. Littre in Act. Paris. Anni 1712. historiam refert aneurysmaticæ arteriæ, ad duos & dimidium digitos diametro auctæ; cujus causa fuisse videtur luminum arteriæ axillaris dextræ, & subclaviæ sinistræ parvitas. Eadem ratione, uti superius ostensi, resistentia hic sanguini ponitur, unde impetu majori truncum arteriæ ingreditur, hinc præternaturaliter dilatat.

Alia rursus causa est, *arteriarum compressio, obturatio, aut spasmodica constrictio, in quodam illarum loco accidens.* Aneurysmatum, ab his causis natorum, exempla recenset Lancis. propos. 38 & 46. ubi postquam *hypochondriacis, aneurysmata a fibrarum arteriarum, spasmodice contractarum, constrictione fieri*, ostendisset, subjungit: *Plura adhuc ex convulsione orta aneurysmata videmus in delicatulis nutricibus, quæ, dum supra vires lac infantibus præbere student, pulsationis sensatione in arteria mammaria interna cum dolore correptæ fuerunt, quæ ni lactare desiissent, in talia aneurysmata perductæ, satis ce-*

dere debuiſſent. Viſcera abdominalia infarcta. Dum viſcera abdominalia ſanguine craſſo infarciuntur, ſanguini promovendo reſiſtentia ponitur, ponitur reſiſtentia cordi propellenti, quare fortius in arterias propinquiores agit, violentius illas dilatat, ut non raro aneuryſmaticæ fiant. Hypochondriacis cum materie quandoque ab hac cauſa aneuryſmata fiunt; & advertit Lancifius illa frequentiſſime hypochondriacis in arteria cœliaca accidere.

Vaſorum nimia plenitudo. Plenitudinem vaſorum cordis actioni reſiſtere, ex phyſiologicis notum eſt. Verum illa plenitudo in ſtatu naturali major eſſe non debet, quam, quæ in arteria, vi cordis dilatata, novo ex corde expulſo ſanguine, locari poſſit. Dum plenitudo major eſt, ponitur cordi tale obſtaculum, ut non poſſit evacuare contentum in ſuis cavis ſanguinem, ſed palpitet inani conatu, novo adveniente per venas ſanguine magis irritatum; unde fibræ cordis, ſanguinis adfluentis vi, & copia magis dilatantur, & cor aneuryſmatice expanditur.

Ingluvies, quæ plenitudinem vitioſam generare ſolet, adeo frequens aneuryſmatum cauſa eſt, ut Lancif. prop. 41. *omnium Medicorum & Chirurgorum obſervatis exploratum eſſe*, affirmet: *ex centum aneuryſmatibus, ſponte, ſeu absque ullo cauſæ externæ concurſu, obvenientibus, plus dimidia parte in guloſis, & bibacibus evenire.*

Præter has cauſas cor aneuryſmata ſibi adhuc propria habet, quæ in ipſius cordis vitio conſiſtunt. Quantum cor per cauſas illas, quæ ſanguini ejiciendo obicem ponunt, affici debeat, ex hucus-

cusque dictis patet; sed cor, substantia sua, suppuratione, post inflammationem pro parte consumpta, debilitari ita potest, ut naturaliter constitutis arteriarum resistentiis devincendis sufficere non possit. Cor autem suppurari posse, & suppuratione consumpta substantia, facile debilius reddi, nova observatione ostendit Illustriss. ac Magnif. Archiater L. B. de Störck Anno Med. 2. Cad. 14. Idem fieri videtur in animi affectibus tristibus, in quibus cordis actio adeo dejecta est, ut expellendo e cavis suis sanguini impar sit, unde sanguis, in ejus cavis adcumulatus, anxietates magnas causat, quas frequenter præternaturalis cordis dilatatio sequitur.

Valvulas, duritiem prope osseam nactas, non immerito Lancis. prop. 43. inter causas aneurysmatum cordis refert. Recenset historiam Canonici, in quo una ex valvulis aortæ ossea, duæ cartilagineæ videbantur, ventriculo dextro, sinu, & auricula illius lateris dilatatis, sinistro ventriculo naturaliter constituto. Mirabatur Lancis. ventriculum sinistrum, in cujus ostio tamen malum hæsit, male affectum non fuisse. Verum robur illius dilatationi ejus obstitisse videtur, cum adeo validum fuisse, notet Lancis. ideoque malum potius ventriculo dextro, qui per se debilior est, communicatum fuisse. Cum enim ventriculus sinister, ob valvulas aortæ obstantes, se evacuare non potuerit, quia præternaturaliter constitutæ erant, neque sanguinem promovere, utique sanguini, e ventriculo dextro per pulmones in cor sinistrum transfundendo, obstaculum natum est, & difficultas, unde demum cor dextrum, sanguine libere se evacuare non potens, eo plane modo affe-

ctum fuit, ac si causa morbi in eo ipso locata fuisset.

Polypi certe non infimam vim habent in aneurysmate cordis producendo. In iis, qui sæpe animo linquuntur, polypi nascuntur, ideoque sæpe aneurysma cordis; vel polypus, orificio ventriculorum coarctato, sanguini expellendo obstaculum objicit, vel in ipso ventriculo hærens, cor in palpitationem irritat. Utroque modo cordis ventriculus debilitatur, quo facto facile ipsius dilatatio præternaturalis accidit.

De hæreditaria ad aneurysmata cordis dispositione etiam mentionem injicit Lancis. cujus exempla superius, ubi de congenito & hæreditario vitio locuti sumus, jam relata sunt.

Recensitis sic causis, quæ aneurysma producere possunt, videnda sunt signa, quibus aneurysma præsens cognoscatur & distinguatur. Definitum est aneurysma in genere, quod sit: tumor, plus, minus pulsans, corde, vel arteriis aliquo sui loco dilatatis, vel eorum soluta continuitate, natus. Unde patet: primo, tumorem pulsare, inprimis in illis locis, ubi arterias magnas decurrere, docet Anatome, dum & magnus cordis pulsus suspicionem diversam aneurysmatis jam pridem injecit. Quia vero multa sunt, quæ aneurysmatis præsentis diagnosin difficilem reddunt, idcirco diligenter enarranda sunt omnia signa, quæ aneurysma prodere possint, ut illius suspicio habeatur, & de illius præsentia in dato casu rite judicari possit.

Atque

Atque primo dicendum eſt, quibus ſignis internum aneuryſma cognoſcatur.

Internum aneuryſma vel in corde eſt, vel in magnis arteriis evenit.

Cordis aneuryſma autem, ut jam ſuperius monitum eſt, frequentius in ventriculo dextro, quam ſiniſtro invenitur; ſæpius in auriculis & ſinubus, cujus ratio ex debilitate harum partium dependet, & ex eo, quod plures cauſæ ſanguinis per pulmones tranſitum impediant, & ſanguis in corde dextro remoram patiatur, hinc coagulum obveniat, inde dilatationis eorum ratio obſcura non eſt. Aneuryſmata vero, quæ interne accidunt in arteriis, ubique locorum, etiam in magnis arteriis obvenire poſſunt. Frequentius tamen in aortæ arcu obſervantur, quod is impetum ſanguinis a corde projecti plurimum experiatur, unde etiam interna arteriarum aneuryſmata ſæpiſſime in thorace locari, contingit.

Sunt autem primaria aneuryſmatum internorum ſigna: *Pulſus inſolito auctus ad motum muſcularem, aut in animi affectibus, & omnibus illis cauſis, quæ ſanguinis motum ad cor accelerant.*

Ubi morbus in pectore hæret, *pulſatio* ibidem ſentitur. Ex hujusmodi cauſis violentioribus *ſuffocationis metus* imminet, & reſpiratio difficilis malum præſens auget, *pulſus intermittens* fit, & *animi deliquium* accedit. Porro docuit obſervatio: quod illi, quibus aneuryſma intus *in pectore* incluſum hæret, dum *incurvato antrorſum pecto-*

re ſedent, melius habeant. Interdum *ex prægreſſis intellectis* cauſa erui poteſt, quæ aneuryſmati producendo apta fuit. Quamobrem omnia inquirenda ſunt.

Animadvertendum autem eſt diligenter: Iſta ſigna, etſi ſat manifeſta eſſe videantur; tamen interdum aneuryſmatis interni diagnoſin ſat obſcuram relinquere; ſæpe ita, ut non infimæ famæ Medicos ſæpius in errorem induxerint.

Duæ autem potiſſimum ſunt rationes; quarum una eſt: quod aneuryſmata a cauſis ſat abſconditis, ut audivimus, oriri poſſint; altera ratio eſt: quod, ſymptomata, quæ aneuryſmata interna comitari ſolent, aliis etiam morbis communia eſſe, inventum ſit.

Pulſationem quippe *inſolitam*, citra aneuryſmatis præſentiam in externis tumoribus quandoque adfuiſſe, deinde dicetur, & *eandem* in internis obſervatam fuiſſe, citra aneuryſma præſens, obſervata docent.

Præter alia plura exempla, duo recenſet Cl. de Haen in Rat. med. Tom. 4. unum, ubi a materia atribiliaria & aliud, ubi a ſpirituum inordinato motu *ſpectabilis arteriarum vicinarum pulſatio, cum omnibus ſymptomatibus interne latentis aneuryſmatis, aderat.*

Pulſus inordinatus, intermittens, animi deliquia, æque quidem ab aliis cauſis evenire poſſunt, imo & illud ſignum, nempe: *Levamen inclinato antrorſum pectore*, cum aliis affectionibus,

ab

ab aneuryſmate alienis conjunctum fuiſſe, docet idem Cl. Vir.

Duo exempla refert Morgagnus in epiſtol. anat. 18.

Animadvertendum eſt ſecundo: non omnia iſta ſigna ſemper ſimul adeſſe, ubi aneuryſma adeſt, neque ſemper aneuryſma adeſſe, ubi hæc ſigna adſunt.

Hinc omnino clarum eſt, Morgagn. non abs re meminiſſe: *Non ad quædam tantum, ſed ad pleraque attendi debere ſigna, quia, uti non ſemper omnia adſunt, ita, ſi quædam tantum ſpectentur, ſæpenumero decipimur, & diagnoſis ſecura non eſt.*

Major tamen haberi poterit ejus certitudo, ſi *præſentibus enumeratis ſignis, cauſas*, unde fieri poſſunt, *internas, prægreſſas fuiſſe*, conſtet. Alia res eſt, ſi aneuryſma, interne natum, externe ſe manifeſtet; quod quidem interdum accidit.

In Act. Pariſ. Anni 1733. habetur tale exemplum aneuryſmatis interni ſubclaviæ in ortu ſuo ex aorta, quod in anteriori colli parte extrorſum tumens, tumorem exhibuit rotundum.

In iisdem Actis aliud habetur exemplum aneuryſmatis, quod tumore, in duobus locis intercoſtalibus præſente, protuberavit.

Atque hæc de aneuryſmatibus internis.

Aneurysmatis arteriæ cylindroidis signa sunt: *Pulsatio præternaturalis, & arteriæ per longiorem sui tractum diameter aucta.* Sed aneurysma hoc raro in externis obvenire, monitum est; quapropter obscura est illius diagnosis, & sæpe tantum per conjecturas adquirenda.

Aneurysma cysticum arteriosum, vel & cysticum spurium, si in exterioribus hæreat, his signis cognoscitur, & ab aliis tumoribus distinguitur, nempe: *Tumore, in loco, quo magna arteria decurrit, sito; pulsu cum aliis arteriis synchrono; tumore pressioni cedente,* subterfugiente in arteriam e sacco aneurysmatico sanguine; *dum pressio remittit, idem magnitudine iterum redit tumor; color tumoris reliquæ cuti concolor non est:* pressione enim tumor aneurysmaticus evanescit, ast, hac ablata, rediens, per distractionem attenuata cute, colorem rubrum induit.

Multum certe interest, aneurysmaticum tumorem cognoscere, illumque ab aliis distinguere. Tristia exempla hominum insciorum & temerariorum rara non sunt, qui dum fluctuantis quid in tumore invenirent, absceſſum esse, credentes, maturarunt & aperuerunt, unde cum sanguine simul vita de corpore effluxit.

Narrat hanc in rem Clariss. de Haen historiam juvenis in Academia Leidensi studiosi, qui ex contusione, tumore aneurysmatico affectus erat, & spreto Celeb. Boerhaav. consilio, qui aperturam tumoris prohibuit, illo per ignorantem Chirurgum aperto, spiritum cum sanguine effudit. Plures ta-

les

les prostant historiæ. Notabilis habetur apud Lancis. prop. 21.

Ast, opponet fors quispiam: non magnam in cognoscendo aneurysmatico tumore, si is sensibus pateat, esse difficultatem, cum illius signa evicta sint, & a vera ejus diagnosi aberrare vix possibile sit, vel parum tantum attento.

Verum difficultas maxima in eo est, quod inveniantur aneurysmata, vere cystica, quæ *non cedunt pressioni*, quæ *non pulsant*, quæ tamen evidentia illa signa sunt, quibus aneurysma se ab aliis tumoribus distinguit.

Causa hujus in eo consistit: quod, etsi arteria in saccum distenta, naturali tenuior fiat, tamen sæpissime crassitie ita augeatur, ut sanguini adpulso non amplius cedat, non dilatetur, non pulset. Sanguis, in aneurysmatico sacco arterioso stagnans, conquassatur, cordis ictibus, & arteriæ contractionibus in lamellas abit, quæ arteriæ parieti adplicatæ, saccum insigniter crassitie augere visæ sunt. Imo interdum inter ejusmodi lamellas congrumatus includitur sanguis, quo aneurysma adhuc notabilius increscit. Nec hoc solum, etiam cartilagineam, imo osseam duritiem saccus aaeurysmaticus induisse visus est; quo facto, ratio profecto clara est, saccum aneurysmaticum nec pulsare, nec pressum, retrocedere potuisse.

Porro pulsus non percipi potuit in aneurysmate, quia dum in magnum volumen increvit, impetus a corde pulsi sanguinis non adeo valide

agere

agere potest in saccum aneurysmaticum magnum, ut ille singulis cordis ictibus elevetur.

Ex his etiam rationibus satis cæteroquin peritos in diagnosi aneurysmatis exhibenda errasse, & pro medela, mortem attulisse, observata docuerunt.

De aneurysmatici sacci crassitie ultro adhuc loquendo, vidit Morgagn. in aneurysmate, quod tibicen gesserat, saccum crassum, qui in lamellas, non secus, ac cepæ, resolvi poterat. Vidit Ruyschius in ingenti aneurysmate, quod in pectore, sponte natum, gesserat homo, innumerabiles pene tunicas, crassas, carnosas, sat tenaces, sibi invicem adcumbentes, sanguine inter has tunicas delitescente; externa tamen tunica, quæ arteriæ dilatatæ membrana erat, straminis tantum crassitiem habuit, omnis reliqua moles a polyposis concretionibus pendebat.

Verum, mirari non oportet, debilitatas arteriæ membranas sanguinis adfluentis impetu facile rumpi effuso cum vita sanguine, nisi variis concretionibus firmarentur.

Riverius Cent. 4. Observat. 34. ubi historiam aneurysmatis recenset, simulque monet: *Tumorem illius admodum tensum & cartilagineum evasisse*, advertit: *Duritiem eam perinde elucescere, quod dilatatio arteriæ, sine ruptione diu durans, eam tensionem & duritiem efficiat.*

Quæ

Quæ cum ita sint, tumores, ad arterias siti, diligenter examinandi sunt; si suspicionem aneurysmatis injiciant, in causam, ortus rationem & omnia, quæ prægressa sunt, indagandum, ne cum ægri detrimento, & nostro opprobrio in aperturam tumoris consentiamus, quæ effuso inde rivatim sanguine, adeo certe mortem infert.

Secundo adhuc hanc in rem monendum est: quod, quemadmodum non omnis tumor pulsans aneurysma est, ita etiam non omnis tumor non pulsans aneurysma non sit.

Illustr. & Magnif. Archiater L. B. de Störk in Anno Med. 2. Cad. 19. recenset historiam fœminæ, quæ, post acutissimum in capitis parte dextra dolorem, non sine molestia pulsatione ibidem afficiebatur; post anni spatium os temporale dextrum tuberculum elasticum, pulsans exhibuit, quod continuo magis auctum, ut quatuor mensium spatio ovi gallinacei magnitudinem adquireret; pulsus in eo cum illo aliarum arteriarum synchrone continuabat. Pro aneurysmate habitum fuerat. Sed sectum cadaver nil minus, quam aneurysma exhibuit, sed tumorem variegatum concreto sanguine, quasi atheromatoso, & quadam veluti carnositate constantem.

Quæritur jam, unde illa tumoris pulsatio? Nullum, in tota capitis plaga, cui tumor insedit, cranium inventum est, etenim omne os in membranam redactum erat. Hinc mirum non est, pulsu, quo cerebrum omni cordis ictu elevatur, tumorem, illi impositum, similiter elevatum fuisse, & mentitum esse pulsum.

In

In Actis Med. Lond. antea laudatus Kunter. l. c. similem animadversionem facit occasione tumorum illorum, qui in anteriori colli parte sæpius observantur, & pulsu, a vicina arteria mutuato, præsente, incautis aneurysma fingunt.

Quapropter in aneurysmatico tumore determinando non soli *pulsationi* fidendum est, sed simul examinandum, num, *pressus*, *tumor retrocedet*, & *pressione ablata revertatur*.

In examine aneurysmatis cavendum est, ne subito comprimatur, sed successive, leniter; subito namque compresso tumore, sanguis, in sacco aneurysmatico contentus, cor versus in arteriam retropressus, cordis motum suffocare potest, unde anxietates, animi deliquia, subita mors, suffocato penitus, obruto sanguine, corde, accidere potest. Imo fieri potest, ut sanguis in aneurysmatico sacco coagulatus hærens, rudiori pressione in canalem arteriosum reprimatur; unde intensius primo ponitur cordi obstaculum, quo motus illius post maximas anxietates suffocatur.

Item observandum est, ne compressum aneurysma subito relaxetur. Pressione nempe subito ablata, sanguis in vacuum saccum illabens, cordi subtrahitur, animi deliquia accedunt; qua propter aneurysmata eadem, qua comprimuntur, lenitate remitti debent; atque hoc est, quod secundo monendum fuit, hæcque diagnosin aneurysmatis cystici, quod communiter verum dicitur, spectant, de qua sub eodem capite dictum est, ubi de aneurysmate cystico arterioso vero, & spurio locutus sui; quia, nisi ex prægressis sciatur: arteriam *omni-*

nino non, aut *non integre* pertusam fuisse, non facile internosci, & distingui poterit.

Signa autem, quibus aneurysma ecchymoticum, communiter spurium dictum cognoscatur, sunt: *tumor latius diffusus, obscure pulsans, pressione non evanescens, colore livido aut purpureo defœdatam cutim exhibens.*

Causa, hunc tumorem efficiens, est sanguis in cellulosam ex læsa arteria effusus, unde satis ratio recensitorum signorum patet. Latior tumor est, quia in cellulosam delapsus sanguis hinc inde per eam facile diffunditur; color lividus, aut ruber a sanguine effuso, per cutim transparente fit; nonnisi obscure pulsat, quia sanguis coagulatus cordis illum impellentis motum suffocat; non retrocedit, dum premitur, ob eandem sanguinis coagulati rationem. Verum recens talis tumor tamen, pressus, rerrocedere videtur; non, quia effusus sanguis arteriam intrat, sed quia latius in circuitu cellulosam subit; unde etiam fit, ut pressus talis tumor, strepitum edat.

Inde intelligitur, qua ratione aneurysma tale a tumore illo, quem ecchymosin communiter dicimus, & a sanguine venoso in cellulosam effuso producitur, distinguatur.

Verum etiam hic difficultas obtinet. Quandoque enim contingit, ut talis tumor ecchymoticus venosus in illis locis contingat, in quibus magnæ arteriæ decurrunt, unde ob subjectam arteriam pulsantem, obscure pulsare videtur, quod facile

im-

imponere posset, tumorem hunc esse aneurysma ecchymoticum.

Diligenter itaque omnia perpendenda sunt: num lædens causa *externa* fuerit; num *arteriæ discissio* signis suis se ostenderit; num, si causa interna fuerit, in loco, ubi decurrit arteria, atque, ubi tumor oritur, *dolor*, *distensio*, *erosio* præcesserint, & denique, num causa interna lædens talis fuerit, quæ *continuitatem arteriæ* solvere possit.

Quod si vero aneurysma tale ecchymoticum in interioribus corporis locis hæreat, difficilius cognoscitur. *Dolor* cum *pulsatione*, causam, pulsum mentientem, portendens, in medio illius partis observatus, & *succedens* dein in arteria illius partis *ponderis cujusdam sensus* de ejus præsentia probabiliter concludere sinunt.

Sed alius adhuc aneurysmatis mentionem facere oportet ex observationibus Morgagni, quod sequenti ratione se habet: In Epist. 16. num. 17. sectionem cadaveris describit, in quo invenit *arteriam aortam prope cor dilatatam*; ea aperta, vidit, *sanguinem*, *exesa arteriæ tunica interiori*, *sub exteriorem penetrasse*, *eamque removisse ita*, *ut magna sanguinis quantitas in facto illo spatio contineretur*, *ruptaque ea tunica in pericardium effusa inveniretur*. Tale quid etiam in externis arteriis contingere potest, formarique inde aneurysmatis ecchymotici species, quod aneurysma diffusum non sit, ut prius, sed secundum arteriæ tractum decurrens, plus, minus oblongo tumore.

Sed

Sed jam etiam de signis aneurysmatis antea dicti *venosi* dicendum est. Aneurysma hoc etiam *varicosum* dictum est; & describitur primo in Act. Med. Lond. nempe: in Tom. 1. num. 26. & in Tom. 2. num. 36. descriptum est a Kunter. & a Kleekorn Tom. 3. num. 13. sequenti autem modo se habet, & ut mox dicetur, oritur.

Interdum accidit, si vena secetur, simulque pertundatur arteria subjecta, non fiat aneurysma ecchymoticum, effuso de arteria vulnerata sanguine, sed ut ligaturæ externæ ope arteria subjecta pertusa appressa venæ externo vulnere coalescat, maneatque adposita vulnerata vena vulneri subjectæ arteriæ, pariter pertusæ, aperta, ita, ut duorum horum vasorum, arteriæ nempe & venæ, sibi respondentibus vulneribus inter utrumque habeatur communicatio, unde evenit, ut a corde in arteriam pulsi sanguinis portio per cicatrisatam arteriæ, & venæ aperturam venam subeat, eamque præternaturaliter dilatet, & in varices temporis tractu efformet.

Intelligitur hinc facile: novam hanc esse aneurysmatis speciem, quæ ad nullam hactenus adlatarum referri valet.

Signa, quibus affectus iste cognoscatur, collegit Kleekorn l. antea cit.

I. *Manifestus* auditur *strepitus*, quem facit sanguis, ex læsa arteria in venam erumpens. Strepitus hic similis est strepitui ebullientis aquæ, aut illi, quem faciunt circumvolitantes apes. II. *Strepitus iste impediri potest*, dum in illo loco, ubi

vena pertusa fuit, & pertusa simul arteria, adpresso fortiter digito, foramen, quo arteria in venam aperitur, clauditur. III. *Arteriæ pulsatio in loco infra communicationem ejus cum vena* per vulnus factam. Hæc pulsatio infra communicationem obscura est, sed supra eam manifesta. IV. Venæ sunt *varicosæ*, & *pulsant*. V. Clauso per compressionem arteriæ vulnere *varices minuuntur*, & *non pulsat* amplius *vena*, quæ symptomata *remittente compressione illius* loci illico vehementiora sunt.

Atque istis signis sat manifestis tale aneurysma sæpius cognoscitur; neque latet ratio, quare varicosum illud aneurysma adpellare voluit Kleekorn.

Data ita diagnosi aneurysmatis, ejus varii effectus considerandi sunt.

Effectus pro ratione *loci*, in quo hærent aneurysmata, pro ratione *magnitudinis*, pro ratione *durationis*, & *humorum crasi*, varii sunt.

Quo aneurysma *propius* est *cordi*, eo plus functiones vitales lædit, & plus lethale est. *In pectore situm* aneurysma, compresso pulmone, respirationem lædit, & interdum suffocationis periculum infert, cordis actionem turbat, ita, ut pulsus frequentius intermittat, interdum plane feriatur. Quæ omnia certius eveniunt, dum *ipsum cor* aneurysmaticum est.

Ad-

Advertendum autem est: effectus istos non semper *eodem gradu* & eadem *intensitate* observari, licet causa præsens eadem semper esse videatur. Interdum per paroxysmos tantum suffocationis, & mortis periculum incurrunt ægri. Phœnomeni hujus ratio in eo quærenda est, quod, etsi morbi causæ, dilatatio nempe arteriæ magnæ, aut cordis ipsius, semper adsint, aliæ tamen accedant causæ, quæ non semper adsunt; & cum aneurysmate præsente conjunctæ, mistæ, effectum novum, & novum morbum producunt: ut animi affectus, motus musculares, situs corporis mutatus, error in diæta, nimia ventriculi repletio, acria assumpta, & similia, quæ effectu suo ad aneurysma præsens accedentia, novam causam ponunt, & morbi exacerbationem causare possunt.

Porro, quo *majus* est aneurysma, eo plus vicinas partes afficit, totumque demum corpus ad cacochymiam disponit. Stagnans namque in magno aneurysmate sanguis fere ibi quiescens, quasi degenerat, & demum totum sanguinem cacochymicum reddit.

Si *diutius affligat* malum, sacco continuo aucto, tunicæ arteriarum attenuantur, nisi aliquibus spuriis, e sanguine coagulato natis, membranis firmior fiat, sustinetur, rumpitur, cysticum in ecchymoticum transit, vel disrupta cute, effuso sanguine, mortem infert.

Idem effectus sequitur, dum sanguis inter spurias illas membranas, quas jam descripsi, stagnando, acrimoniam contrahit, & saccum aneurysmaticum erodit.

Non parum etiam ad ſacci aneuryſmatici eroſionem & rupturam conferre videntur fragmenta oſſea, quæ interdum hinc inde in ſacco aneuryſmatico funeſto eventu reperiuntur. Jam antea inſinuatum eſt, ſaccos aneuryſmaticos magnam interdum craſſitiem adipiſci, imo interdum tantam denſitatem acquirere, ut cartilagineam, & pene oſſeam firmitatem habeant, cujus ope contra omnem rupturam provida conſuluit natura. Sed etiam viſum eſt, ſaccum aneuryſmaticum oſſeas ſquammas hinc inde per ſuam ſubſtantiam geſſiſſe, quæ politam aliquando admodum, aliquando aſperam habebant ſuperficiem.

De natura harum ſquammarum non conveniunt omnes: ex materia tophacea concretas volunt alii; ſæpiſſime oſſeas eſſe probat Morgagni Epiſt. 27. num. 23. easque materia, quæ alia oſſa componit, illuc morboſe depoſita, collecta generari autumat; & plura iſtius ſacci aneuryſmatici minuta corpora oſſeam naturam ſæpiſſime manifeſte præſeferunt. Ita factum eſſe, ſæpiſſime viſum eſt, ut tale os natum oſſis ſterni portionem, quæ in ipſo ſterno deerat, ita æmularetur, ut pro ipſa illa deficiente oſſis ſterni portione imponeret; quaſi, neſcio qua ratione, in ſaccum aneuryſmaticum tranſiiſſet. Caſu ſimili os in ſubſtantia aneuryſmatis natum viſum eſt, dum oſſis ſterni portio ab adjacente aneuryſmate, quod aliis etiam ſubſtantiis oſſeis acciditſe viſum eſt, conſumptum fuit. Jam dictum eſt, quomodo oſſeæ ſquammæ, quæ in ſacco aneuryſmatico formantur, ad ejus eroſionem, & diſtractionem, demumque rupturam conferant, ut autem hæc eo melius adhuc intelligantur, opor-

tet

tet ſolum ad pauca quædam animum adhuc advertere.

1) Squammæ iſtæ inter arteriæ tunicas reperiri ſolent. 2) Adeo aſperam, imo & aculeatam aliquando habent ſuperficiem, ut, quod Brunner. in aorta ſui ſoceri eveniſſe, ſcribit in Act. Acad. Natur. Curioſ. in Append. ad ann. 3. Dec. 3. ut, inquam, oſſea aſpredine digitos immiſſos offenderit, & prominentibus aculeis pupugerit.

Hinc jam non eſt difficile intellectu, quomodo oſſicula ejusmodi ſacci aneuryſmatici diſtractioni occaſionem dare poſſint. Non poteſt videlicet arteria ſe contrahere, quin aſpredines, & quaſi aculeos in adjacentem arteriæ tunicam urgeat; neque poteſt ſanguis a corde projectus arteriam dilatare, quin eandem tunicam ad eosdem aculeos adprimat, unde profecto tunicæ illius diſtractio provenire debet, & rupturæ periculum, quale in ſene & muliere ex hac cauſa aneuryſma vidit Morgagn. in epiſt. 26. num. 15 & 17.

Etiam *nimia mole auctum* aneuryſma, ſive cyſticum, ſive ecchymoticum, vicinas partes comprimit, unde variæ functionum læſiones eveniunt. Ab aneuryſmate aortæ œſophagum comprimente, deglutitionem impeditam vidit Morgagn. & a compreſſis pulmonibus ab aneuryſmate, interne in thorace locato, reſpirationem impeditam, & tuſſim inde ortam, interdum videre licuit in nonnullis aliis.

Compreſſio hæc atroces dolores cauſat, & humorum motum in illis partibus, quæ premuntur, penitus ſuffocat, unde gangræna partis, ſphacelus, & mors. Atque hæc eo citius, & eo majori atrocitate eveniunt, ubi per aneuryſma nervi majores irritantur, premuntur, deſtruuntur.

Unde recte Morgagnus in epiſt. 50. ad art. 12. *Aneuryſmata, vel etiam externa, ubi nervis, aut aliis partibus, ſenſibilibus magis, proxima ſunt, tametſi ſanguinis perfuſio non accedat illico, poſt acerbiſſimos tamen cruciatus demum interficere poſſunt.*

Præterea mira certe ſunt, quæ de effectibus aneuryſmatum in dura oſſa apud obſervatores leguntur. Ruyſchius in ingenti illo in pectore ſito aneuryſmate, in caſu antea memorato *omnes coſtas & os ſterni in nihilum quaſi redacta invenit.*

Jam ſæpius citat. Celeberr. Kunterus in Act. Med. Lond. hiſtoriam aneuryſmatis deſcribit, *quo non tantum ſternum, ſed etiam vertebræ totaliter conſumptæ fuerunt. Num vero conſumptio hæc caries ſit,* dubitat Kunter, *quia corruptionem a carie diverſam vidit.* Credit potius ille, *oſſa a præterlabente ſanguine ſolvi, eluique non aliter, ac:* gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Donec eum conſumat.

Ex obſervationibus a Chirurgis, fide digniſſimis, commemoratis, *vim oſſa ſolvendi, ſanguini tribuere videtur,* quod quidem problematice tantum propoſuit.

Ape-

Aperuit Chirurgorum illorum aliquis tuberculum in temporibus ſitum, *quod præter ſanguinem nihil continebat, nec geniti oſſis veſtigium habuit.*

Conſentit cum hac obſervatione illa ab Illuſtr. & Magnif. Archiatro L. B. de Störck Cad. antea cit. 19. facta obſervatio: ubi *ſub tumore ſanguis concretus cum atheromatoſa, aut carnoſa materia continebatur, & cranium, oſſe ita emollito, morboſum fuit.*

Sed longe diverſa ab hac eſt illa oſſibus ab aneuryſmate inducta mutatio, qua non in membranas emolliuntur, ſed contrita quaſi deſtruuntur.

Quærit Morgagn. *cur dura potius oſſa, quam molliores partes deſtruant aneuryſmata?* Et reddit rationem: *Quod illa magis, quam hæ, reſiſtant, & ideo vim aneuryſmatis magis experiantur.*

Prognoſin in aneuryſmatibus quod attinet, id in genere faciendum eſt: *Omne aneuryſma, qualecunque ſit, difficile curari.*

Cæterum ad prognoſin ſpeciatim formandam, *loci*, in quo aneuryſma hæret, *magnitudinis* & *ſpeciei* ratio habenda eſt.

Aneuryſmata, quæ *in internis corporis locis*, in *magnis arteriis*, & *corde* obveniunt, curationem omnino nullam admittunt.

Non multo felicius curantur illa, quæ in illis locis contingunt, quæ *ob arterias ſolitarias*, vel *alias circumſtantias* operationem prohibent.

Quo *majora* ſunt aneuryſmata, eo plus timendum eſt, ne diſtracta, diſtenta, vel rupta membrana arteriæ, ſanguis cum vita effluat; ne, quæ in internis locis hærent, vitam ſuffocent, aut partes vicinas comprimendo, gangrænam, ſphacelum, & mortem parti, quam tenent, inducant.

Accedit, quod *majorum* aneuryſmatum curationem ſuſcipere non audeant Chirurgi.

Ruyſchius de Amſtelodamenſibus Chirurgis memorat: *Neminem ex illis per viginti & ultra annos, in vaſta adeo civitate operationem hanc in ſe ſuſcepiſſe.*

Denique aneuryſmata *magna*, & *diu permanentia* cacochymiam univerſalem inducunt, ut mox antea dictum eſt.

Parvæ vero aneuryſmata quandoque felicius curantur, vel ſi non curantur, per plures annos innocue feruntur.

Sic refert Sennertus Prax. Med. L. 5. Parte 3. exemplum mulieris, *quæ ultra triginta annos aneuryſma magnitudine juglandis ſine damno tulit.*

Ratione *ſpeciei* aneuryſmata *cordis* periculoſiſſima ſunt, nunquam curabilia.

Non

Non faciliorem habent prognosin aneurysmata *cylindroidea* dicta, qui in interioribus corporis locis fere tantum obveniunt, ubi manui accessus non datur.

Cæterum aneurysmata *ecchymotica*, seu *spuria* dicta cysticis periculosiora sunt, vel nimio sanguinis profluvio, vel sanguinis corruptione brevi ut plurimum funesta. *Cystica* diutius tolerari possunt, præcipue, si congrua fascia utantur miseri.

Celerius finiuntur *ecchymotica*, in quibus, si gangrænæ metus est, protinus auxilium in manu Chirurgi adest.

Denique ex observationibus Mœnichen, sed rarissimo plane casu, accidit, ut *ruptum* aneurysma cysticum sponte, sanguinis fluxu desinente, evanescat.

Curationem jam adgredimur.

Curatio aneurysmatis alia *palliativa*, alia *curatoria* est.

Palliativa illa dicitur, quæ symptomata lenit & effectus prohibet, vel saltem retundit, qui aucto malo, evenire consueverunt.

Ratio hæc curandi in aneurysmate *cordis*, & arteriarum *majorum* maxime in illis locis, ubi manui *accessus non datur*, vel alia ex ratione, *operatio prohibetur*, adhiberi debet; curatio namque curatoria in his locum *vix* habet.

Quæ enim Lancisius curatorum *internorum* aneurysmatum exempla recenset, ea incipientia tantum fuisse videntur.

Quapropter, solummodo curam *palliativam* in internis aneurysmatibus adhiberi posse, certo constat.

Quandoque tamen etiam in aneurysmatibus minoribus, *in locis externis* sitis, ad augmentum eorum impediendum usu venit curatio palliativa, quod quidem tantum de aneurysmatibus *cystici* verum est; *spuria* namque, seu *ecchymotica* solum protinus auxilium in operatione chirurgica habent.

Consistit cura palliativa in duobus capitibus: *primo*, ut omni ratione *causæ internæ*, quibus aneurysma augeri potest, vitentur & impediantur.

Secundo, ut per artem externe adhibitam, *tumoris augmentum* prohibeatur, & *ruptura* præcaveatur.

Itaque aneurysmatibus *cordis*, aut *internarum*, aut similium arteriarum, quæ curam curatoriam *non admittunt*, adfectis, sedulo omnes illæ causæ vitandæ sunt, quibus *sanguinis motus* augeatur, & quas in sanis arteriarum aneurysmata *producere* dictum est. Cantus, risus, nixus, magnus corporis & animi motus, potus spirituosi, & veneris exercitium, tussis, vomitus, sternutatio vehemens omni ratione evitari debent. Hæ enim causæ, prout per se producendo aneurysmati suf-

fi-

ficiunt, ita factum augere, imo disrumpere, & effuso inde sanguine, mortem inferre possunt.

Ob hanc rationem 2*do* alvus semper *libera* tenenda est, ne nixu illo, quo dura alvus excernitur, spiritus cohibitus aneurysmati violentiam inferat.

3) Quia *acrimonia humorum* pariter aneurysmatis sufficiens causa esse videtur, quatenus arteriarum tunicas rodendo eas debilitat, ideo cavendæ sunt omnes illæ causæ, quibus acrimonia in sanguine nasci potest. Cibi acres, salsi, aromatici ideo vitandi sunt, &, si quæ in corpore dominetur acrimonia, ea blandis & sine stimulo agentibus remediis corrigenda est.

4) Ad *pacatum sanguinis circulum* conservandum anodyna sæpius danda sunt, quibus non tantum menti tranquillitas concilietur, sed etiam præcaveantur spasmi, qui in tali casu ab inordinato spirituum motu produci possunt.

5) Cum sanguinis *nimia quantitas* tantum ad producendum aneurysma conferat, non minus ad jam facti augmentum, vel rupturam contribuere possit, ideo frequentioribus venæsectionibus pro re nata sanguinis quantitatem minuimus.

6) Si tumor aneurysmaticus palliative curandus, tali in loco sit, qui non quidem *operationi*, *sed manui* accessum dat, tum fascia, prudenter adplicata, aut adhibita apta machina leniter comprimi debet; qua pressione augmentum non tantum

tum impeditur, sed & is *ab omni vi externa* præmuniri potest.

Circa hanc autem aneurysma curandi rationem id præprimis notandum est: eam tantum locum habere posse in aneurysmate *externo*; quando namque internum aneurysma in aliquo corporis loco extrorsum tumet, quales casus dari, jam monitum est, compressio extrorsum protuberantis sacci non potest non esse periculosa & nociva, quatenus sanguinis impetu, extrorsum directo, repressio, saccus aneurysmaticus magnitudine augetur, vel plane disrumpitur. Unde subita mors, aut saltem omnium symptomatum augmentum evenit, aut mors acceleratur.

Verum, non tantum internum aneurysma, extrorsum tumens, compressum, periculosum est, sed etiam *externum*, dum illud ita locatum est ab extus, ut introrsum repulsum, ad cavum aliquod recedere possit. Atque hæc sunt, quæ curam palliativam concernunt.

Curatio vero *curatoria* triplici ratione perficitur. *Compressione*, *constrictione*, vel *operatione* chirurgica.

Curatio, quæ *compressione* perficitur, in aneurysmatibus tantum *cysticis* locum habet, raro in *ecchymoticis*, seu spuriis, & id solum tunc, quando illa a causa *externa*, & vel maxime post *venæsectionem* contingunt, qui ille casus est, in quo locus apertæ arteriæ scitur, & auxilium ferri potest prius, quam magna sanguinis effusio contingat; ubi enim magna jam sanguinis extravasatio

facta

facta est, arteria rupta, vel discissa comprimi quidem potest, sed putredo aperturæ prementis machinæ necessitatem facit.

In *cysticis* aneurysmatibus compressione curationem perfectam quandoque viderunt Chirurgi, dum ilia *recentia*, *parva*, in tali loco posita fuerunt, ubi arteria propter subjacens os, *compressionem effugere* non potuit.

Inventæ sunt in hunc casum machinæ, quæ tumorem sanguine elapso crescentem illico continerent, & quandoque curarent.

Quibus machinæ tales ad manus non sunt, illi imposita charta per strata, aut spleniis circumducta fascia compressionem perficiunt.

Interdum laminam plumbeam, vel auream imponunt, superpositis prius spleniis, ut hac ratione compressio æquabilis & efficacior fieri possit.

Solent etiam aliqui ad compressionem hanc perficiendam emplastra adstringentia adhibere, quale est emplastrum ad hern. aut cataplasma adstringens imponere, quibus dein splenia sic dicta superimponunt, & fascia firmant.

At vero, ubi aneurysma cysticum adeo *magnum* est, ut compressioni *non obediat*, aut aneurysma est *ecchymoticum magnum*, & ubi effusus *sanguis* jam *coagulatus* est, tum sola curationis spes in aneurysmatis *operatione* est.

Ope-

Operatio autem hodie *duplici ratione* fit; vel *ligata* arteria aneuryſmatica, vel vero *ſine ligatura* perficitur. Utraque harum ſequenti ratione inſtituitur.

Atque primo operatio, quæ *ligata arteria fit*, ſequenti ratione peragitur. Si aneuryſma *ecchymoticum* eſt, adplicata primo machina tornatili, quam *Tourniquet* vocant, arteria inter cor, & aneuryſma comprimitur, quo ſanguinis adfluxus impediatur; tumor tum aneuryſmaticus ſecundum longitudinem aperitur, eximitur inde concretus hærens ſanguis, tum eluitur; quo facto foramen, quo arteria aperitur, remiſſa aliquantulum machina hac tornatili, ut ſanguis effluere poſſit, inquiritur, inventum foramen arteriæ, ſeparatis nervis, quibus utplurimum ſociæ decurrunt arteriæ, filo, acus ope diligenter ſubducto, ſupra vulnus, aut ut alii, magis cauti, amant, ſupra & infra ligant. Intermedio inter duas ligaturas loco vulnerata arteria diſcinditur. Integram relinquere placuit Heiſtero, quo facto linteis ſiccis vulnus impletur, & ex arte curatur, curando ſimul, ut primis ſaltem curationis diebus arteria in decurſu per brachium machinæ tornatilis ope compreſſa teneatur, quo impetus ſanguinis in locum ligaturæ parumper infringatur.

Intelligitur ſane facile, hoc modo in curatione procedendo, arteriam, ulterioribus uſibus inutilem reddi; idcirco, operatione peracta, pulſus, qui ſanguine per illam fluente, fit, ubi operatio in arteria brachiali, ſolitaria facta fuit, in carpo manus deficit, frigent, per horas, etiam per dies, partes, redeunte demum ſucceſſive cum pulſu calore,

lore, quando laterales arteriæ, ligato ramo, per quem omnes vicinæ arteriæ inter se communicare solent, ita adfluente successive sanguine dilatatæ sunt, ut eam quantitatem sanguinis transmittant; quæ ad vivificandas, infra ligaturam, vel compressam arteriam positas partes requiritur.

Dein partes subjectas fomentis aromaticis fovemus, ut sanguinem ad majorem adfluxum invitemus, & simul illas non tantum a putredine præservemus, sed etiam eam in illis flexilitatem conservemus, qua serius, citius, influenti sanguini recipiendo apta maneant.

Hæc quidem solum fiunt, dum arteria ligata *major*, *solitaria* est, qualis utplurimum brachialis est. Accidit tamen quandoque, ut illa in decursu per brachium vario modo in varios ramos abeat.

Tali præsente arteriæ statu, ligata una arteria, non est, cur multum de vita subjectæ partis timeamus; facile calor, & pulsus redit, si quo casu vacarent.

Aft, ubi arteria brachialis solitaria est, & communicans ramus, qualem Cowperus depingit, notabilem amplitudinem non habet, pars infra ligaturam, pulsu omni in carpo silente, friget, donec per eas, quæ adsunt, anastomoses debita sanguinis copia adfluat, quæ dilatandis infra positis arteriis possit sufficere.

Ligato

Ligato trunco, ramos, adfluente assiduo sanguine copioso, ampliores reddi debere, evidens est, & per eas plus, solito, sanguinis ad partes subjectas adferri, intelligitur.

Attamen quandoque accidit, ut anastomoses illæ adeo parvæ sint, ut nullo modo vivificandis infra ligaturam partibus sufficiat illuc defluens sanguis, quo in casu mors illius partis subsequitur.

Periculum hoc ut evitetur, jam veteres excogitarunt methodum, qua *sine* facta *ligatura* arteriæ vulnus ita claudi possit, ut ulterior sanguinis profusio prohibeatur, & curatio perficiatur.

Alii in hunc finem, arteria, prius compressa, chartam masticatam, in plumaceolæ formam redactam, aut parva splenia, liquore aliquo adstringente imbuta, arteriæ foramini imposuerunt, & superpositis spleniis pluribus, eousque, ut impleretur vulneris altitudo, adpositis fasciis firmarunt.

Alii frustillum vitrioli, vel aluminis vulner arteriæ imposuerunt, eoque similiter firmato, sanguinis effusionem impediverunt, & occasionem fecerunt, ut nato in vulnere thrombo, arteriæ vulnus consolidetur.

Ad hoc melius efficiendum Celeber. Morand, Chirurgus Parisinus, meliorem methodum excogitavit.

Fun-

Fungus est, sub nomine *agarici* notus, forma pedis equini, qui in arboribus, ut: quercu, fraxino &c. natus, vi sanguinem sistendi se commendat; hujus fungi, externo cortice denudati, frustillum vulneri arteriæ imponitur, dein gradatim aliis fungi hujus frustulis & spleniis locum illum impleri jubet, donec constrictionem circumductæ fasciæ subjecta læsa arteria experiri possit.

Magna adeo fasciæ adstrictio hic non requiritur, quia fungus ille magnam & eximiam vim plasticam, qua cum partibus, quibus imponitur, facile & pertinaciter cohæreat, habet.

Arteria etiam hac methodo non comprimitur adeo, sed fluit semper per illam sanguis, cujus impetum, adplicata super vulnus per aliquod tempus tornatili machina, infringere oportet.

Quacunque vero mox dictarum methodo procedat operator, nunquam machinæ tornatilis aliquo tempore adplicatio intermitti debet.

Relinquitur iste rerum adparatus, donec consolidato arteriæ vulnere, adpositus fungus decidat.

Hæc de operatione in curatione aneurysmatis *ecchymotici* instituenda.

Dum aneurysma *cysticum* est, *tribus* diversis modis fieri consuevit operatio.

Vel enim aperto sacco aneurysmatico, excusso omni sanguine crasso, coagulato, arteriæ vulneri, quod antea dicto modo detegitur, frustil-

lum vitrioli, vel aluminis, vel splenium, vel charta masticata, liquore styptico, vel caustico imbuta, imponitur, quo facto splenia aliqua imponuntur eousque, donec circumducta parti fascia suppositam arteriam comprimat, & vulnus concrescat.

Vel vero cute, intacto aneurysmatico sacco, prudenter dissecta, & ab illo dextre separata, arteriam aneurysmaticam, remotis solerter nervis, infra & supra tumorem ligant, & in medio inter utramque ligaturam discindunt, & vulnus ex arte consolidant.

Bourmanni est hæc methodus.

Arnelius, quod hic operandi modus non tantum plus temporis requirat, sed & magnam etiam cicatricem relinquat, aliam operandi methodum proposuit.

Jubet ille: adposita prius machina *Tourniquet*, quod primum in omni operatione fieri debet, cutim incidere, & sanguinem ex tumore exprimere; quo facto, arteriam utrinque ligare, reliquamque curationem ex arte perficere.

Verum, cum non raro magna sanguinis coagulati quantitas in sacco aneurysmatico contineatur, qui in arteriam reprimi non potest, nec debet, methodus hæc generaliter usui esse non potest.

Morandi methodus, qua propositā, fungo vulneratam arteriam curari posse, diximus, in aneurysmate locum quandoque habet; ubi videlicet aper-

apertura, qua arteria in ſaccum aneuryſmaticum patet, magna non eſt, quod in illis aneuryſmatibus, quæ ſaccum ſpurium habent, & vulnerata arteria facta ſunt, quandoque invenitur.

Facta ſic, quocunque modo, operatione, ad *Symptomata* ea, quæ majora vulnera ſequi ſolent, præcavenda, ſi æger plethoricus eſt, vena ſecanda eſt, & talia danda remedia, quæ ægro dolores leniant, & inflammationem præcaveant.

Diæta blanda, & animi quies commendanda ſunt: quibus mediantibus ut plurimum felix operationis, ſi ea non temere, & citra conſilium ſuſcepta ſit, exſpectari poteſt finis.

SYNOPSIS.

I.

JACOBI SCHMID
DISSERTATIO
DE ANGINA.

Definitio anginæ.

Diviſio anginæ.

I. Angina inflammatoria, ejusque ſpecies:
angina ſtricte inflammatoria dicta
angina membranacea
rynanche
parachynanche
ſynanche
paraſynanche.

Cauſæ

Cauſæ.
Signa.
Methodus medendi.

II. Angina ſuppuratoria
vera
ſpuria.

III. Angina gangrænoſa.

IV. Angina ſcirrhoſa.

V. Angina cancroſa.

VI. Angina polypoſa.

VII. Angina catarrhalis.
Cauſæ.
Indicationes.
inflammationi proſpicere
pituitam ſolvere.

VIII. Angina oedematoſa.

IX. Angina bilioſa.

X. Angina putrida.

XI. Angina miliaris.

XII. Angina petechialis.

XIII. Angina maligna.

XIV. Angina peſtilentialis.

XV. Angina ſcarlatinoſa.

XVI. Angina eryſipelatoſa.

XVII. Angina morbillosa.

XVIII. Angina varioloſa primi & ſecundi ſtadii.

XIX. Angina varioloſa ſtadii tertii.

XX. Angina varioloſa ſalivantium.

XXI. Angina venerea condylomatoſa.

XXII. Angina venerea ulceroſa.

XXIII. Angina venerea nocturna.

XXIV. Angina mercurialis.

XXV. Angina convulſiva.

XXVI. Angina paralytica.

XXVII. Angina aphtoſa.

XXVIII. Angina phthiſicorum.

XXIX. Angina febre acuta morientium.

II.

IGNATII SPALOWSKY

DISSERTATIO

DE VOMITU.

Definitio.

Diviſio.

I. Vomitus ſaburralis, ejusque ſpecies.
vomitus crudorum
vomitus biliosus
vomitus pituitosus
vomitus ab acido.

II. Vomitus inflammatorius.

III. Vomitus ſpaſmodicus.
vomitus gravidorum in primis menſibus
vomitus navigantium
vomitus ab animi pathematibus
vomitus a viſu rerum ingratarum.

IV. Vomitus ab acribus aſſumptis.

V. Vomitus a vitio organico.

VI. Vomitus hernioſorum.

VII. Vomitus calculoſorum.

VIII. Vomitus capite vulneratorum.

Corollaria.

III.

WOLFGANG PICHLER.

DISSERTATIO

DE PODAGRA.

Differentia essentialis arthritidis a rheumatismo.

Divisio.

Ratione originis,
hæreditaria
acquisita.

Ratione typi,
regularis
irregularis.

Ratione curæ,
deposita
retropressa.

Causæ,
proximæ,
remotæ.

Symptomata.
Prognosis.
Cura
extra paroxysmum.

causis

cauſis remotis recurrere,
methodus varia
diaphoreticis
reſolventibus
diæta lactea

in paroxyſmo.

Podagra retropreſſa.

Cauſæ,
nimia quantitas materiæ podagricæ
articuli male conſtituti
vis vitæ nimium debilis
peculiaris viſceris diſpoſitio.

Signa podagræ retropreſſæ.

Cura podagræ retropreſſæ.

Methodus varia curandi podagram,
ſtimulantibus
opio
emollientibus
venæſectione
eccoproticis.

IV.

DOMINICI PAUWER
DISSERTATIO
DE PHTHISI.

Definitio.

Diviſio.

I. Phthiſis purulenta.

II. Phtiſis tuberculoſa.

III. Tabes nutricum.

IV. Tabes dorſalis.

V. Tabes ſcrophuloſa.

Prognoſis
in phthiſi incipiente
in phthiſi conſummata.

Methodus medendi varia
methodus nutriens
methodus roborans
methodus balſamica
methodus reſolvens

metho-

methodus antiphlogistica
methodus evacuans per emesin.

De cura quorundam symptomatum
tussis
sudor colliquativus
diarrhæa colliquativa.

V.

JOANN. GEORG. PLENKER

DISSERTATIO

DE METEORISMO.

Definitio.

Differentia a tympanitide & colica flatulenta.

Causa proxima.

Causæ remotæ
primarum viarum debilitas
ingesta acria.

Sedes.

Cura.

Variæ

Variæ ſpecies meteoriſmi
flatulentus
ſaburralis
inflammatorius
gangrænoſus
a veſica urinaria lotio diſtenta.

VI.

CAROLI PLASS

DISSERTATIO

DE RETROCESSIONE EXANTHEMATUM.

Varia genera retrogreſſorum exanthematum.
Petechiæ retropreſſæ.
Variolæ retropreſſæ.
Scabies retropreſſa.
Cruſta lactea retropreſſa.
Tinea & achores retropreſſi.

Periculum a retroceſſione.

Via varia materiæ retrogreſſæ.

Humori cuidam aſſimulata e corpore excernitur:

methodus medendi in hoc caſu.

Cum

Cum humorum maſſa permixta corpus oberrat, & febrim excitat.

Ad partem aliquam deponitur.

Cauſæ retroceſſionis
ingeſta
animi affectus
perfrigeratio
immodicæ evacuationes ſymptomaticæ.

VII.

FRANCISCI BIDISCHINI

DISSERTATIO

DE RECONVALESCENTIA.

Initium reconvaleſcentiæ.

Convaleſcentia poſt acutos

poſt febres inflammatorias
virium debilitas
tranſitus febris inflammationis in aliam febrem

recidivæ inflammat. topic.

poſt febres pituitoſas

poſt

post febres biliosas & putridas
sudores nocturni
delirium & fatuitas
temulentia & deliquium animi
lingua impura
tumores pedum & crurum
fames
hysteria & hypochondriasis.

Post febres intermittentes.

Convalescentia post morbos chronicos.

VIII.

FRANCISCI ZEIT

DISSERTATIO

DE CONVULSIONIBUS INFANTUM.

Convulsionum varia genera
tremor
singultus
cordis palpitatio
epilepsia
chorea S. Viti.

Spasmorum varia genera
tetanus

empro-

emproſtothonos
opiſtothonos
ſpaſmus maxillarum
tetanus linguæ
ſpaſmus cynicus
tortura oris
metacloſis
phiſodes.

Cauſa convulſionum in infantibus
meconium
alvus obſtructa
tormina a lacte
acrimonia humorum
acrimonia retropreſſa
febris quæcunque vehemens
opium
dentitio difficilis
inanitio
vitia primarum viarum
vermes.

IX.

JOSEPHI VERHOVITZ

DISSERTATIO

DE NOSTALGIA.

Definitio.

Homines noſtalgiæ ſubjecti.

Species noſtalgiæ
idiopatica
complicata
ſimulata.

Signa & ſymptomata noſtalgiæ idiopaticæ.

Signa complicatæ.

Signa ſimulatæ.

Cauſæ noſtalgiæ
proxima
remotæ.

Prognoſis.

Therapia noſtalgiæ.

X.

JOSEPHI CSEH SZOMBATHY

DISSERTATIO

DE MORBIS GLANDULARUM SECUNDUM ÆTATES.

Glândularum affectiones primis menſibus a nativitate

ulcera

ulcera cutanea
aphtæ.

Morbi glandularum in dentientibus.

Morbi glandularum a dentitione usque ad tempora pubertatis.

Morbi glandularum a pubertate ad annum ætatis vigesimum quintum in viris, & annum quadragesimum sextum in sequiori sexu.

Morbi glandularum a præcedenti periodo ad senectutis initia.

Morbi glandularum a senectutis principio ad illius, vitæque finem.

XI.

ANTONII DOMINICI RIVOLTI

DISSERTATIO

DE PAROTIDE.

Definitio.

Causæ.
causa proxima
causæ remotæ.

Parotidum diviſio
ſymptomatica, critica
protopathica, deuteropathica
maligna
inflammatoria
ſuppuratoria
gangrænoſa.

Signa orituræ parotidis.

Exitus parotidis.

Reſolutio ſalivatione
diarrhæa
urinis
ſudore.

Suppuratio

Ulcus fiſtuloſum

Gangræna.

Prognoſis.

Cura.

XII.

XII.

JOANN. MICH. DE WELTHERN

DISSERTATIO

DE PROGNOSI IN MORBIS ACUTIS.

Fontes Prognoseos
a natura morbi
a causis excitantibus
a subjectis
a symptomatibus

actionibus vitalibus
pulsu
respiratione

functionibus animalibus
animi affectibus
sensibus internis
somno & vigilia
sensibus externis
actionibus voluntariis
tremor
convulsio
subsultus tendinum
a decubitu
aliis quibusdam motibus

functionibus naturalibus, ab
appetitu
siti
deglutitione
excretis & retentis
alvi dejectio
urina
substantia
quantitas
color
contenta
sudor
hæmorrhagiæ
lachrymæ
lingua & faucibus
hypochondriis.

XIII.

THADDÆI STRIBEL

DISSERTATIO

DE ANEVRYSMATE.

Definitio.

Divisio.
verum, spurium.
externum, internum.

Divisio authoris

aneu-

aneuryſma cylindroides arteriæ
aneuryſma cyſticum arterioſum
aneuryſma cyſticum ſpurium
aneuryſma ecchymoticum
aneuryſma venoſum

Cauſæ
proxima
remotæ
vulnus
punctura
ſectio
contuſio
inflammatio
congenita vaſorum diſpoſitio
clamor, vociferatio, ſaltatio &c.
mercurii nimius uſus
arteria in aliqua ſui parte oſſea
arteriarum compreſſio
vaſorum plenitudo
valvularum oſſeſcentia
polypi.

Signa aneuryſmatum.

Effectus aneuryſmatis.

Curatio
palliativa
curatoria.

Ua 3777

ULB Halle
006 647 480
3

W 8

DISSERTATIONES MEDICÆ

IN

UNIVERSITATE VINDOBONENSI HABITÆ

A D

MORBOS CHRONICOS

PERTINENTES

ET EX

MAX. STOLLII

MEDIC. CLINIC. P. P. O. PRÆLECTIONIBUS

POTISSIMUM CONSCRIPTÆ.

EDIDIT ET PRÆFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL.

VOLUMEN TERTIUM.

VIENNÆ,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPLER

MDCCLXXXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-712638-p0401-7